STOICORUM
DE AFFECTIBUS DOCTRINA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHORUM

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE X. M. FEBRUARII A. MDCCCLX.

H. XII. L. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

MAXIMILIANUS HEINZE.

THEOL. CAND.

THURINGUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

F. FEDDE, PHIL. CAND.
E. PINDER, PHIL. CAND.
A. ROEHRIG, THEOL. CAND.

BEROLINI

TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS LANGE.

ADOLPHO TRENDELENBURGIO

SACRUM.

STOICORUM DE AFFECTIBUS DOCTRINA.

Doctrina de affectibus quantum in disciplina Stoica valuerit cum libri testantur, quos περὶ παθῶν fere omnes clari Stoici scripserunt, tum praecipuus locus, qui huic doctrinae in morali hujus philosophiae parte dabatur, Diog. VII, 84: τὸ δὲ ἠθικὸν μέρος τῆς φιλοσοφίας διαιροῦσιν εἴς τε τὸν περὶ ὁρμῆς καὶ εἰς τὸν περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν τόπον καὶ εἰς τὸν περὶ παθῶν. Immo complures Stoici omnem philosophiam moralem ex hac de affectibus doctrina pendere censuerunt, e. g. Posidonius in libro primo περὶ παθῶν Gal. de dogm. Platonis et Hippocratis ed. Kuehn tom. V. p. 469: νομίζω γὰρ καὶ τὴν περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν καὶ τὴν περὶ τελῶν καὶ τὴν περὶ ἀρετῶν ἐκ τῆς περὶ παθῶν ὀρθῶς διασκέψεως ἠρτῆσθαι, Epictetus dissert. III, 2, 3: τούτων (int. τόπων περὶ οὓς ἀσκηθῆναι δεῖ τὸν ἐσόμενον καλὸν καὶ ἀγαθόν) κυριώτατος καὶ μάλιστα ἐπείγων ἐστὶν ὁ περὶ πάθη. Et fortasse haec eorum de affectibus doctrina haud tantopere est contemnenda, quantopere contendit Cartesius initio libri primi de passionibus quaecunque de his docuerint veteres dicens tanti esse momenti et ita non probabilia, ut plane ab iis, quas illi institerint viis, recedere et de hac re scribere debeat, ac si tractet de materia, quam antea nemo attigerit.

Fontes, ex quibus Stoicorum de affectibus doctrina est haurienda, sunt Plutarchus in diversis scriptis praecipue in libello de virtute morali, Galenus in libris de

dogmatis Platonis et Hippocratis, quos quidem ambos, cum disciplinae Stoicae sint adversarii, multa in pejus vertisse verisimile est; Diogenes Laertius in libro septimo, quo philosophiam Stoicorum inprimis Zenonis enarrat, Stobaeus in eclogis ethicis, ubi exponit ethica Stoicorum, quibus, quamvis sint epitomatores temerarii, tamen omnino fides est habenda, quoniam inter se et cum aliis hac in Stoicorum doctrina congruunt; Cicero cum in aliis libris tum Tusculanarum quaestionum libro tertio et quarto, qui partim pura Stoicorum placita nobis tradit, partim cum suis ipsius commixta, neque hac in doctrina sententias veterum Stoicorum cum illis posteris jam ad Peripateticos et Academicos se inclinantibus suo more temere confundit, libros autem nescio an Stoicorum ipsos non legerit, sed quicquid hac de doctrina nobis tradit a suo acceperit Antiocho.

In his omnibus quae docuerint vetustiores Stoici invenimus, cum quae recentiores tradiderint ex ipsorum libris possimus cognoscere, ex Senecae dialogis de ira, de tranquillitate, aliis et epistolis, cujus quidem placita non semper sunt proprie Stoica, cum se ad aliquem unum e Stoicis proceribus non alliget, sed sui juris velit esse in philosophia de vita beata III, 2; ex Epicteti manuali et dissertationibus ejus ab Arriano congestis, ex Marci Aurelii philosophi ad se ipsum libris. — Existit praeterea libellus quidam περὶ παθῶν ab Andronico Rhodio vel ab Andronico Callisto scriptus, cf. Fabr. biblioth. Graec. III, p. 264, qui cujuscujus est affectus in morem Stoicorum partitur et definit, sed fere nil novi affert.

His temporibus non sunt, qui hac de doctrina Stoicorum accuratius tractaverint, ita ut etiam nunc ad Lipsium recurrendum sit, qui quae Stoici de affectibus

censuerint in manuduct. ad philos. Stoic. III, diss. VII exponit Senecam maxime respiciens, ad Salmasium qui de affectibus Stoicorum in notis et animadversionibus in Epictetum et Simplicium multa summa cum doctrina, sed non satis clare disserit et a Stoicis stare magno opere conatur, ad Tiedemannum, qui in systemate philosophiae Stoicae hac de parte tom. III. p. 164 sqq. fuse quidem, sed non satis distincte disputat. Operae igitur pretium erit hanc philosophiae Stoicae gravem partem accuratius perspicere et ego dissertationem meam ita instituam, ut primus communem Stoicorum de affectibus doctrinam, quantum possim enarrem, tum quid proprii singulorum philosophorum possit inveniri exponam.

Veteres Stoici inprimis Zeno et Chrysippus definiendis et dividendis affectibus maximam operam navaverunt et valde est dolendum, quod eorum integri libri nulli nobis sunt servati, ita ut in describenda eorum doctrina epitomatoribus fere solis et adversariis Stoicorum possimus uti, cum recentiores spinas definiendi et dividendi evitaverint et multo magis quomodo affectus in anima orirentur et quomodo eos cavere et iis mederi posses, fuse explicaverint, ut utrique invicem se explerent. Tamen etiam in veteribus Stoicis studium ad mores pertinens in hac de affectibus doctrina agnoscere possumus, siquidem etiam in iis, quae logica et psychologica, ut ita dicam, de affectibus scripserunt, id semper spectaverunt, ut sapiens affectibus omnibus vacare posset, ut ἀπάθειαν suam μετριοπαθείᾳ Peripateticorum oppositam in hominibus existere posse demonstrarent.

Atque, ut statim in mediam rem progrediar, definitio universalis affectus Stoica est ὁρμὴ πλεονάζουσα Diog.

VII, 110; Stob. ecl. eth. ed. Heeren p. 166; Gal. V, p. 368. ὁρμήν Cicero vertit appetitum vel appetitionem itaque ὁρμὴν πλεονάζουσαν appetitum vehementiorem Tusc. quaest. IV, 6; ego malo cum Seneca ὁρμήν reddere impetum, cum appetitus vel appetitio multo magis sit ὄρεξις Stoica cf. Casaubonum in Epict. man. I. De ὁρμῇ et ὀρέξει, quomodo usurpatae sint a Stoicis, pluribus locis fuse disputat Salmasius et, ne longi simus hac in quaestione, consequitur ex ejus disputatione, ut sit ὄρεξις ὁρμῆς species alio modo atque apud Peripateticos et ὁρμή „appellatio generalis sit de omni sive appetitu sive appetentia, cupiditate, libidine, desiderio, concupiscentia, assensione, impetu, vitatione, declinatione, opinatione et quacunque animi vel mentis motione rationi consentanea vel adversa" in Epict. et Simpl. p. 52, sive voluntate nostra sive invite suscepta, ita ut ὁρμή etiam in brutis animalibus insit Diog. VII, 85. Complectitur itaque sensu latissimo, quam dicunt Stoici ἀφορμήν Clem. Alex. p. 166 ed. Sylburg. Cf. definitiones ὁρμῆς et ὁρμῆς λογικῆς et specierum ὁρμῆς λογικῆς Stob. ecl. eth. p. 160 sq., in quibus distinctionibus apparet ad meras argutias Stoicos esse delapsos. — Sic appetitus in has omnes significationes non quadrat itaque ὁρμή impetus rectius appellari mihi videtur.

Huic explicationi contradicere videntur quae Epictetus initio manualis dicit: ἐφ' ἡμῖν — ὁρμὴ ὄρεξις κ.τ.λ. Quibus verbis patet eum ὁρμήν in nostra potestate ponere et voluntate, cum in sola ὁρμῇ hoc voluntarium inveniri non possit; attamen hic locus reapse Salmasii explicationi non est contrarius, cum ὁρμή prior et posterior possit discerni, quarum illa sine rationis assensione est, haec sola assensione rationis fit, illa in animalia quoque

cadit, haec solius hominis est, atque hanc posteriorem Epictetum intellexisse, cum diceret ἐφ' ἡμῖν ὁρμήν esse, apparet.

Ἐν εἴδει igitur ὁρμῆς est πάθος Stob. ecl. eth. p. 164, sed illi additur πλεονάζουσα atque hanc vocem ipse Chrysippus explicat Gal. V. p. 369 κατὰ τοῦτο δὲ καὶ πλεονασμὸς τῆς ὁρμῆς εἴρηται διὰ τὸ τὴν καθ' αὑτοὺς καὶ φυσικὴν τῶν ὁρμῶν συμμετρίαν ὑπερβαίνειν, cf. locum Chrysippeum Gal. V. p. 394; συμμετρίαν autem ὁρμῆς φυσικήν dicit ibidem p. 370 esse τὴν κατὰ τὸν λόγον καὶ ἕως τοσούτου καὶ ἕως αὐτὸς ἀξιοῖ et tum illos πλεονάζουσαν ὁρμήν habentes comparat cum iis, qui καθ' ὁρμήν currant, in quibus crurum motus animi impetum transgrediatur, ita ut efferantur, cum ii, qui καθ' ὁρμήν eant, simulac velint, sistere possint et vertere. Itaque ὁρμὴ πλεονάζει, simulac modum ratione recta praescriptum excedit, quacum explicatione omnino congruunt quae Cicero tradit Tusc. quaest. IV, 6 „sed vehementiorem eum volunt esse, qui longius discesserit a naturae constantia“, qui illa verba Chrysippi fortasse ante oculos habuit et συμμετρίαν constantiam vertit. A Stobaeo ad hanc definitionem, quam ipse et Diogenes Zenonis vocant, adicitur ecl. eth. p. 36 s. οὐ λέγει πεφυκυῖα πλεονάζειν, ἀλλ' ἤδη ἐν πλεονασμῷ οὖσα· οὐ γὰρ δυνάμει, μᾶλλον δ' ἐνεργείᾳ, ut differat Stoicum a πάθει Aristotelis neve quis his verbis definiri credat quandam animae facultatem, cum antea πάθος Academicis esse etiam τὸ παθητικὸν μέρος τῆς ψυχῆς vel ποιότητα ἀλόγου μορίου ψυχῆς enarrarit; et alio loco Stobaeus adicit p. 166 καὶ ἀπειθὴς τῷ αἱροῦντι λόγῳ, quibus verbis ea, quae Chrysippus explicat, tantum aliter exprimuntur. ὁ αἱρῶν λόγος est ratio postulans, evinceus, quae alicui quid persuadere vult,

cf. Plut. de virt. mor. III. Plura dabunt de hoc usu Gatakerus in Marc. Aurel. IV, 24 et Wyttenbachius in l. l. Similis est Chrysippi λόγος παραινῶν Gal. V. p. 410, quem amantes transgredi dicit.

Huic definitioni affectus alia est saepissime adjuncta, ἡ ἄλογος καὶ παρὰ φύσιν ψυχῆς κίνησις Diog. VII, 110; Stob. ecl. eth. p. 166; Cic. Tusc. quaest. IV, 6: „aversa a recta ratione contra naturam animi commotio", quae definitio a Cicerone et Diogene Zenoni tribuitur, Galenus autem V. p. 368 nos docet etiam Chrysippum affectum sic definiisse atque postea locum ex ipsius Chrysippi περὶ παθῶν libris affert ad explicandam hanc definitionem p. 368 s., quo Chrysippus hoc ἄλογον esse non omnino sine ratione exponit, sed potius ἀπειθὲς λόγῳ, ἀπεστραμμένον τὸν λόγον (cf. Stob. ecl. eth. p. 170 τὸ δὲ ἄλογον καὶ τὸ παρὰ φύσιν οὐ κοινῶς, ἀλλὰ τὸ μὲν ἄλογον ὅσον τὸ ἀπειθῶς τῷ λόγῳ) et ἀλόγως φέρεσθαι esse ἄνευ λόγου κρίσεως, οὐχὶ εἰ διημαρτημένως φέρεται καὶ παριδών τι κατὰ τὸν λόγον ταῦτ' ἐπισημαινόμεθα, ἀλλὰ μάλιστα καθ' ἣν ὑπογράφει φορὰν οὐ πεφυκότος τοῦ λογικοῦ ζώου κινεῖσθαι οὕτως κατὰ τὴν ψυχήν, ἀλλὰ κατὰ τὸν λόγον. Homo secundum rationem, quam in se habet, vivere debet, quae est pars λόγου in tota natura dispersi; sin autem huic rationi non paret aut semel aut consuetudine, ἀλόγως movetur et in πάθει versatur, qui motus, quod est contra rationem, etiam contra naturam est, ita ut παρὰ φύσιν et ἄλογος in definitione nostra fere idem significet ratione habita et totius naturae λόγου et partis hujus λόγου in unoquoque homine ad dirigendum constitutae. In affectu non hic λόγος dirigit hominem, sed ipsius anima et arbitrium. — In hoc Chrysippi loco simul id inest, ut ea animalia sola secundum πάθη

moveri possint, quae ratione praedita sunt, ita ut homo solus animal ratione praeditum affectibus possit ferri, quapropter plerique Stoici affectus in animalia immo in pueros negabant cadere, et tum in eodem loco πάθος ab ἁμαρτίᾳ discernitur: οὐχὶ εἰ διημαρτημένως φέρεται καὶ παριδών τι κατὰ τὸν λόγον cf. Gal. V, p. 371. Ad quae verba explicanda utaris fragmento Chrysippi ex therapeutico ejus libro Gal. V, p. 385: πᾶσαι αἱ τοιαῦται κινήσεις τε καὶ καταστάσεις (int. πάθη) ἀπειθεῖς τε τῷ λόγῳ εἰσί τε καὶ ἀπεστραμμέναι· καθ' ὃ καὶ ἀλόγως φαμὲν φέρεσθαι τοὺς τοιούτους, οὐχ οἷον κακῶς ἐν τῷ διαλογίζεσθαι ὡς ἄν τις εἴποι κατὰ τὸ ἔχειν ἐναντίως πρὸς τὸ εὐλόγως, ἀλλὰ κατὰ τὴν τοῦ λόγου ἀποστροφήν, quod fragmentum Galenus multis explanat. Apparet ex his locis Chrysippi revera ab eo discreta esse ἁμαρτήματα ab affectibus, ita ut homo in ἁμαρτήμασι pravo judicio uteretur, in πάθεσι autem rationi meliora suadenti non obtemperaret. Atque hanc distinctionem valuisse apud Stoicos etiam ex Stobaeo verbum ἄλογον explicante videmus. Quibus locis adversatur Plutarchus de virt. mor. X: πᾶν μὲν γὰρ πάθος ἁμαρτία κατ' αὐτούς (int. Στωϊκούς) ἐστι καὶ πᾶς ὁ λυπούμενος ἢ φοβούμενος ἢ ἐπιθυμῶν ἁμαρτάνει, atque revera Stoicos inprimis Chrysippum hac in distinctione πάθους et ἁμαρτίας sibi ipsos repugnasse mox videbimus. Quamquam itaque Stoici πάθη esse ἄλογα docebant, tamen nobis non est negandum illos etiam docuisse πάθη esse λογικά Gal. V, p. 391, id quod Salmasius negat p. 91; nam cum dicunt λογικά esse intelligunt ea ex facultate animae oriri, in qua λόγος inest, τῷ ἡγεμονικῷ, quae etiam διανοητικὴ δύναμις nominatur apud Diogenem et λογικὴ a Chrysippo Gal. p. 409; cum autem dicunt esse πάθη ἄλογα, rationem rectam et universalem

intellegunt, quae omnia regit et secundum quam nos nostros affectus etiam regere debemus. Facillime igitur etiam Galenus refelli potest, qui propter hanc causam Stoicos repugnantiarum arguit.

Praeter has duas definitiones usitatissimas affectus, quas explicatas simillimas inter se esse cognoscimus, alia Zenonis affertur Stob. ecl. eth. p. 38, πάθος ἐστὶ ποτὴ (sic Heerenius recte rescripsisse mihi videtur) ψυχῆς ἀπὸ τῆς τῶν πτηνῶν φορᾶς et Chrysippi Gal. V, p. 394 ἄμετρός τε καὶ ἔκφορος ψυχῆς κίνησις, quae quidem nil novi afferunt neque Senecae ep. 75, 12 „affectus sunt motus animi improbabiles", qui ad eos discernendos a morbis animi adjungit „subiti et concitati."

Hos motus animi Stoici, cum iis omnibus sapientem vacare velint, ut hoc etiam fieri possit, semper gravissime inculcant judicio ac voluntate suscipi Cic. Tusc. quaest. IV, 7. 31; de finn. III, 10, itaque πάθη et κρίσεις nominantur inprimis a Chrysippo multis locis Galeni, Diog. VII, 110 et δόγματα, qua voce Epictetus inprimis utitur atque oriri dicuntur in eadem parte animae, in qua insit ratio. Stoici enim animam unam esse dicunt et in tres partes partiri in τὸ λογιστικόν, τὸ ἐπιθυμητικόν et τὸ θυμοειδές negant, quae erat Platonis et Academicorum sententia cf. Plat. de rep. IV illamque nominabant τὸ ἡγεμονικόν, quo homines et cogitare et appetere et succensere. Haec animae pars est hominis propria neque raro ipsa anima nominatur, cum septem aliae partes animae quinque sensus et τὸ γεννητικόν et τὸ φωνητικὸν ὄργανον etiam in ceteris animalibus insint atque hujus ἡγεμονικοῦ sunt πάθη ῥοπαὶ καὶ εἴξεις καὶ συγκαταθέσεις καὶ ὁρμαὶ οὐ περὶ ἕν τι γινόμεναι τῆς ψυχῆς μέρος ἀλλὰ ὅλου τοῦ ἡγεμονικοῦ Plut. de virt. mor. VII cf. Sen. de

ira I, 8, qui dixit non separatas diductasque suas sedes habere affectus et rationem, sed esse mutationem in melius pejusve animi. Immo Plutarchus refert de virt. mor. III τὸ πάθος ex Stoicorum sententia εἶναι λόγον πονηρὸν καὶ ἀκόλαστον et ibid. VII οὐχ ἕτερον εἶναι τοῦ λόγου τὸ πάθος cf. de genit. anim. XXVI, quo, si explicationem ἀλόγου in definitione respicimus, nil videtur esse absurdius, ut nobis fere persuadeamus aut Plutarchum Stoicos false intellexisse aut falsa tradidisse, ut eos facilius argueret repugnantiarum. Attamen si differentiam inter rationem naturae convenientem et rationem singulorum hominum utilitati uniuscujusque praecipue prospicientem spectamus, jam concedemus fieri potuisse, ut Stoici ipsos affectus nominarent λόγους, cum quoque dicerent λόγον (i. e. rectum) et πάθος esse ἑνὸς λόγου τροπὴν ἐπ' ἀμφότερα λανθάνουσαν ἡμᾶς ὀξύτητι καὶ τάχει μεταβολῆς Plut. de virt. mor. VII, itaque illam ipsam partem animae, in qua orientur ratio recta et affectus, λόγον appellarent. Plutarchus igitur, Stoicos licet non ipsos vocabulo λόγους ad significandos affectus usos esse putaverimus, tamen non ita abhorrentia ab illorum doctrina tradidisse videtur neque Stoicos, etiamsi ipsi λόγους esse πάθη dixerint, propterea repugnantiae argueris.

Multo magis autem plurimi Stoici alia in re sibi contradixisse videntur. Quomodo enim πάθη ab ἁμαρτίαις differant, cum ea valde inter se differre Chrysippus locis, quos supra attuli, contendat, equidem intellegere non possum, quoniam et πάθη κρίσεις nominantur a Chrysippo primo, cujus sententiam postea apud Stoicos valuisse et ex Cicerone Galenoque et ex Epicteto videmus, et ἁμαρτία est κρίσις πονηρά. Quare, quamvis Salmasius p. 99 hanc differentiam a Stoicis factam Stoicorum par-

tes suscipiens conetur explicare et defendere, tamen hac in re Plutarcho fidem habere possumus, qui refert de virt. mor. X πάθος omne fuisse Stoicis ἁμαρτίαν et fuisse inter eos credemus, qui hanc differentiam non statuerent. Illos autem, inprimis Chrysippum, qui fortasse communi sententiae cedentes πάθος ἁμαρτίαν esse negaverint, hac in re sibi repugnasse neque sibi constantes fuisse sicut saepius concedemus.

Sed quamqam πάθος est apud Stoicos κρίσις μοχθηρά, tamen non omnis κρίσις μοχθηρά est πάθος, cum, si credas quatuor bis multiplicata esse novem, κρίσις prava sit, sed haudquaquam πάθος, itaque oportet ad definiendum πάθος accedere quod Plutarchus de virt. mor. IX adjecisse Stoicos dicit: ἡ κινητικὴ ὁρμῆς βιαίου καὶ πλεοναζούσης. Κρίσεις igitur sunt aut θεωρητικαί aut πρακτικαί i. e. κινητικαὶ ὁρμῆς, aut ἄλογοι aut εὔλογοι; ἄλογοι κρίσεις sunt ἁμαρτήματα et si movent impetum vehementiorem πάθη. Haec inprimis Chrysippi definitio fuisse videtur, cum hunc Galenus nos doceat praeter definitiones, quas supra et Zenonis et Chrysippi attulimus, etiam judicia affectus esse contendisse. Zeno autem non ipsa judicia affectus esse dixit, sed quae judiciis superveniant τὰ κρίσεσιν ἐπιγιγνόμενα, sicut sibi persuasum habet Galenus V, p. 429, cf. p. 367 et 377. Itaque duo principes Stoicorum ita in definiendis affectibus inter se differunt, ut Chrysippus quam Zeno causam affectuum dicit, nempe judicium, ipsum affectum esse ducat, Zeno autem effectus affectuum Chrysippi ἐπάρσεις et δήξεις et συστολάς, quae ex illis subsequantur judiciis pravis, affectus nominet. Hanc differentiam levissimam esse quis est quin videat, cum uterque id semper docuerit, πάθη esse voluntaria? cf. de Zenone Cic. Acad.

post. I, 10. Ceterum de hac duorum principum differentia videantur Salmasius p. 60 et Lipsius III, diss. VII.

Sed ut recte intellegatur, quo jure Stoici affectus voluntate et judicio suscipi docere potuerint, necessarium esse videtur exponere, quomodo ex doctrina eorum affectus in hominum animis oriantur; nam affectus solarum animarum esse jam inest in definitionibus et pluries separatim memoratur Stob. ecl. eth. p. 166 εἶναι δὲ πάθη πάντα τῷ γένει τῆς ψυχῆς, cum ictus corporis, de quibus mox dicemus, πάθη esse negent. De hoc autem affectuum ortu ex vetustioribus Stoicis nil cognoscimus itaque ex recentioribus eum exponemus atque liceat locum Senecae totum huc afferre, qui eum describit, de ira II, 4: „Est primus motus non voluntarius quasi praeparatio affectus et quaedam comminatio, alter cum voluntate non contumaci, tanquam oporteat me vindicare, cum laesus sim, aut oporteat hunc poenas dare, cum scelus fecerit; tertius motus est jam impotens, qui non si oportet ulcisci vult, sed utique qui rationem evicit". Tres Senecae motus videntur esse φαντασία visum sive species, συγκατάθεσις assensio, ὁρμὴ πλεονάζουσα impetus modum ratione praescriptum praetergrediens. Assensionem quidem a Seneca secundo motu haud clare significari agnosco, sed esse hanc secundum motum certe ex aliis locis videmus.

Primus horum trium motuum ad uniuscujusque animam accedit, cum species sit alicujus rei et vi quadam sua inferat sese hominibus noscitandum. Definitur haec φαντασία a Stoicis τύπωσις ἐν τῇ ψυχῇ, quam Cleanthes voluit intelligi κατὰ εἰσοχήν τε καὶ ἐξοχὴν ὥσπερ καὶ διὰ τῶν δακτυλίων γινομένην τοῦ κηροῦ τύπωσιν Sext. adv. math. p. 417 ed. Fabr.; Chrysippus autem hanc defini-

tionem absurdam esse duxit, cum consistentibus in nobis multis phantasiis anima quoque eodem tempore habere deberet plures formas, itaque Zenonis definitionem censuit idem exprimere atque ἑτεροίωσιν ψυχῆς; sed si Stoici sic definiunt et una significare volunt hanc ἑτεροίωσιν esse κατὰ πεῖσιν ἀλλὰ μὴ κατ' ἐνέργειαν. Itaque has species homines prorsus patiuntur neque impedire possunt, quominus ad ipsos accedant Sext. p. 419. Alia speciei definitio affertur Chrysippea Plut. plac. phil. IV, 12: φαντασία μὲν οὖν πάθος ἐν τῇ ψυχῇ γινόμενον ἐνδεικνύμενον ἑαυτό τε καὶ τὸ πεποιηκός.

Inter species ipsas autem magnum est discrimen, cum aliae sint πιθαναί aliae ἀπίθανοι, aliae πιθαναὶ καὶ ἀπίθανοι aliae οὔτε πιθαναὶ οὔτε ἀπίθανοι. Et iterum πιθαναί et ἀπίθανοι species dividuntur in veras et falsas et eas quae verae et falsae sunt et eas quae neque verae neque falsae sunt, de quibus differentiis videas Sext. adv. math. p. 419 s. Vera species et ea, quae non fiat falsa, nominatur a Stoicis καταληπτικὴ φαντασία comprehensibilis Sext. p. 402, quae etiam definitur ἡ ἀπὸ ὑπάρχοντος καὶ κατ' αὐτὸ τὸ ὑπάρχον ἐναπομεμαγμένη καὶ ἐναπεσφραγισμένη, ὁποία οὐκ ἂν γένοιτο ἀπὸ μὴ ὑπάρχοντος Sext. adv. math. p. 449, quocum consentit Diogenes VII, 46. Huic comprehensibili speciei opponitur ἀκατάληπτος φαντασία, ἡ μὴ ἀπὸ ὑπάρχοντος ἢ ἀπὸ ὑπάρχοντος μὲν μὴ κατ' αὐτὸ δὲ τὸ ὑπάρχον τὴν μήτραν ἔχουσα μήτε ἔκτυπον Diog. l. l.

His autem visis, quae animis invitis ipsis et comprehensibilia et incomprehensibilia imprimuntur, assentiuntur aut non assentiuntur i. e. συγκατατίθενται aut non συγκατατίθενται, quod συγκατατίθεσθαι etiam συνεπιδοξάζειν nominatur A. Gell. noct. Att. XIX, 1, qui locus desumtus est ex libro Epicteti quinto διαλέξεων, quos ab

Arriano digestas congruere scriptis Zenonis et Chrysippi haud dubium sit. Haec assensio συγκατάθεσις in nostra voluntate est prorsus sita, quae si est ἀσθενής et ψευδής, si igitur assentimur viso incomprehensibili, est δόξα, sin visum comprehensibile accipitur et approbatur, haec vocatur κατάληψις comprehensio, similis iis rebus, quae manu prehendantur Cic. Acad. post. I, 11, quae collocatur inter δόξαν et ἐπιστήμην, cum ἐπιστήμη scientia ἀσφαλὴς καὶ βέβαια καὶ ἀμετάθετος ὑπὸ λόγου κατάληψις sit. Haec differentia inter visum, assensionem, comprehensionem, scientiam explicatur a Cicerone Acad. prior. II, 47 imagine a manu ducta. — Scientia in sapientes solos cadit, opinio in solos insipientes, quae fere eadem est atque inscientia; nam dicunt Stoici sapientem non opinaturum esse Diog. VII, 121 ἔτι τε μὴ δοξάσειν τὸν σοφὸν τούτεστι ψευδεῖ μὴ συγκαταθήσεσθαι μηδενί, comprehensio autem utriusque est communis, cum fieri possit, ut etiam insipiens interdum assentiatur vero viso.

Quod Salmasius p. 33 dicit comprehensionem esse, si quis stabili et inconcusso judicio in his, quae visa sint, noscendis ac firmiter tenendis utatur ac nitatur, recte disputatum mihi non videtur, cum haec jam scientia sit, quae nonnisi in sapientem cadit. De specie et assensione omnino cf. Salm. p. 27 ss.

Haec igitur assensio est secundus motus qui memoratur in affectu et hic motus est in nostra potestate. Affectus itaque sic oritur, ut falsum visum animo nostro accedat, cui assentiri non debeamus, nos autem hoc accipiamus et approbemus, et haec approbatio excitet tertium Senecae motum, qui jam est impetus rationem evincens neque in nostra positus est voluntate, dummodo illud visum pertineat ad nostrum studium nos

ipsos conservandi, qua re assensio facultatem acquirat motus vehementioris excitandi, cf. notam ad κρίσιν adjectam, quam supra attulimus. Si motum secundum non admitteremus in animo nostro, ne in tertium quidem motum excurrentem incideremus, quae est ὁρμὴ πλεονάζουσα. Secundus motus haec assensio est Stoicorum proprius et hoc semper nituntur, si distinguunt animam sapientis ab insipiente; nam sapientis esse non approbare visa incomprehensibilia, cum insipiens omnia visa temere accipiat. Atque hanc assensionem Chrysippus saepissime docuit esse jam affectum, cum Zeno illum tertium motum assensione effectum, qui nos rapit et modum excedit, affectum esse diceret.

Lipsius verbis Plutarchi πάθη esse ὅλου τοῦ ἡγεμονικοῦ ῥοπὰς καὶ εἴξεις καὶ συγκαταθέσεις καὶ ὁρμὰς ordinem, qui est in affectuum genitura et progressu, significari censet, quae voces, quamvis sint Stoicorum propriae, quem progressum in se habeant, intellegere nequeo, cum postea Lipsius locum illum Senecae rectissime explicet.

Visum, quod animo accedit, id quod jam diximus, non in voluntate nostra est situm, itaque ne ictus et pulsus quidem, quae cum eo cohaerent. Nam cum visum aliquod terribile meum animum pellit, tremesco et palleo et in aliis visis corpus meum aliter afficitur; itaque ne hos ictus et motus corporis quidem, mutationes coloris, tremores, palpitationes cordis, alios a sapiente suo Stoici removere possunt, cum visa falsa et incomprehensibilia ab eo non removeant. Atque hoc approbatur etiam a Stoicis sapientem his corporis affectionibus obnoxium esse, id quod optime elucet ex illo fragmento Epicteti A. Gell. noct. Att. XIX, 1, quod phi-

losophum quendam Stoicum, cum in naufragio contremuisset et palluisset, interrogatum ab ipso Gellio, quomodo fieret, ut sapiens ita tremesceret periculo, ex Epicteti dissertationibus legisse narrat Gellius, cf. August. de civ. Dei IX, 4, qui eandem historiolam ex Gellio auctore narrat, cf. Gell. XII, 5, 8 ss. Atque hoc confirmatur multis locis Senecae e. g. ep. 57, 3 ss. „de illo loquor, in quem fortuna jus perdidit: hujus quoque ferietur animus, mutabitur color“ etc., praesertim de ira II, 3: „nam si quis pallorem et lacrimas procidentis et irritationem humoris obscoeni altumve suspirium et oculos subito acriores aut quid his simile indicium affectus animique signum putat, fallitur nec intellegit corporis hos esse pulsus“ et ibid. I, 16, 7 Seneca Zenonem ipsum tale quid docuisse dicit, etiam cum vulnus sit sanatum, tamen cicatricem manere et sentiri suspiciones quasdam et umbras affectuum. Immo etiam animi contractiunculas quasdam et morsus relinqui hoc detracto, quod totum sit voluntarium, memorat Cicero Tusc. qu. III, 34, quae nescio an non sint ex sententia Stoicorum relata.

Sed hoc certe constat Stoicis sapientem non prorsus ἀναίσθητον esse, dolores quidem aliasque res corpora et animos afficientes sentire, sed ratione evincere, ut his rebus permotus nil contra rationem vel naturam neque mutet in judiciis suis, cum habeat assensionem immutatam, neque agat. Cf. Diog. VII, 117 ss. Sen. 9, 1 ss. qui quomodo Stilponis sapiens a Stoicorum differat exponit.

Insipientes autem falsis visis temere assentiuntur, falsas opiniones accipiunt et, si hae opiniones etiam impetus vehementiores efficiunt, incidunt in illos impetus,

qui jam non sunt in potestate hominum, immo vim afferunt. Nam πᾶν πάθος ex doctrina Stoicorum est βιαστικόν Stob. ecl. eth. II, p. 170, id quod mirum videtur, si cum eo comparamus, quod Stoici omnem affectum in nostra voluntate esse positum docebant et jam Salmasius p. 36 dubitat an hoc in repugnantiis Stoicorum sit ponendum. Atque revera si a Stobaeo solo traderetur, jure nostro ei fidem omnem derogaremus, sed cum etiam Plutarchus de virt. mor. X: οὐ πᾶσαν εἶναι κρίσιν πάθος, ἀλλὰ τὴν κινητικὴν ὁρμῆς βιαίου καὶ πλεοναζούσης et ibid. τὰ πάθη — βιαίως προωθοῦντα ἐπὶ τὰς ἐναντίας πράξεις similia referat et Chrysippum talia docuisse in libris de affectibus ex Galeno appareat V, p. 412: οὐ γὰρ ἂν οὕτως οἵ γε κρατοῦντες τῆς κινήσεως (int. οἱ ὀργιζόμενοι et οἱ ἐπὶ τῶν δρομέων προεκφερόμενοι) καθ' ἑαυτοὺς ἂν κινεῖσθαι λέγοιντο ἀλλὰ κατ' ἄλλην τινὰ βίαν ἔξωθεν αὐτῶν, quocum conferas locutiones ἔξω γίνεσθαι ἑαυτῶν, οὐκ εἶναι παρ' ἑαυτῷ alia p. 414, Stoicos illum impetum, qui assensionem subsequatur, nos invitos vi rapere, cum eum semel approbatione admiserimus, docere elucet, ita ut, si etiam postea judicium ad melius iterum se inclinaverit, tamen homo huic impetu deditus se statim continere, sistere, verti nequeat, sicut simile quid accidit iis, qui impetu currunt, ut simulac cursum cohibere velint, tamen non statim stare possint, sed impetu illo aliquamdiu etiam proferantur. Salmasius p. 119 s. ad illustrandam hanc doctrinam rectissime utitur similitudine equitis et equi. In voluntate situm est equitis equum inscendere, sed simulac inscendit eum, saepe non quo contendit eum valet ducere, sed invitus ab illo fertur et rapitur quo minime destinarat, quam similitudinem ipse hausit ex Stobaeo, itaque ea

jam Stoicos usos esse est verisimile, ecl. eth. p. 170 — ὡς καὶ πολλάκις ὁρῶντας τοὺς ἐν τοῖς πάθεσιν ὄντας ὅτι συμφέρει τόδε οὐ ποιεῖν ὑπὸ τῆς σφοδρότητος ἐκφερομένους καθάπερ ὑπό τινος ἀπειθοῦς ἵππου ἀνάγεσθαι πρὸς τὸ ποιεῖν αὐτό.

Sic tamen hic impetus, antequam suscipiatur, in nostra potestate est, ut non cogamur uos ei tradere, cum uos ei autem tradiderimus, excurrit, nos secum rapit ueque eum possumus statim cohibere. Impetus tum rebus externis, sive sunt jucundae sive injucundae, tantam vim accipit, quanta hominis rationem ejusque vim prorsus evincat, cf. Epict. ench. 34 ed. Schweigh. et hae externae res, quarum species hominibus acceduut, nescio an illa ἄλλη βία ἔξωθεν αὐτῶν sint, qua homines in affectibus ferri Chrysippus dicit, sicut quod in voluptate et cupiditate Epictetus l. l. τὸ προςηνὲς καὶ ἡδὺ καὶ ἐπαγωγόν harum rerum nomiuat; cf. Sen. ep. 85, qui dicit, si quid juris tristitiae aliisque affectibus dederimus, eos non futuros esse in nostra potestate, quia extra nos sint, quibus irritentur, itaque crescere, prout magnas habuerint minoresve causas. Verbis Plutarchi affectus ἐκ φαύλης καὶ διημαρτημένης κρίσεως σφοδρότητα καὶ ῥώμην accipere de virt. mor. III. cur πάθος βιαστικόν sit non explicatur.

Ut Stoici autem omnino affectus nobis vim afferre doceant mihi usu permoti esse videutur, cum, quamvis omnis affectus ex eorum doctrina in nostra situs sit potestate, tamen, etiamsi nostrum judicium jam in melius sit mutatum, illum motum excurrentem statim cohibere nobis non licere negare non possint; atque hac re affectibus motos homines differre ab iis, qui erroribus theoreticis, ut ita dicam, capti siut, censeut, quod hi,

simulatque aliter edocti sint, statim opinionem mutent, sententiam priorem deponant veramque assumant, illi autem, etiamsi doceantur aut res externas non dignas esse, quibus moveantur, aut affectibus omnino non esse indulgendum, tamen non desistant Stob. ecl. eth. p. 172 s., itaque rectissime illa nota κινητικὴ ὁρμῆς βιαίου καὶ πλεοναζούσης ad solam κρίσιν, ut affectus describatur, adicitur.

Huic expositioni originis affectuum videtur adversari Seneca ep. 113, 18: „Omne rationale animal nil agit nisi primum specie alicujus rei incitatum est, deinde impetum cepit, deinde assensio confirmavit hunc impetum.“ Nam hic dicit Seneca impetum jam anteire assensionem, non tandem illo effici; attamen nullo modo ab origine affectuum qualem exposuimus discrepat, cum etiam in specie jam impetus insit, qui animum aliquantulum contrahit vel effert et corpus multis modis afficit, quem sapiens non approbans statim vincit et hic impetus aliis locis in ipsa specie jam inesse dicitur, hic autem a specie discernitur, itaque quod antea unum in doctrina Stoicorum esse videbamus hic in duo Seneca dividit, id quod ad rem ipsam fere nil valet.

Expeditis jam universalibus definitionibus et ortu affectuum nunc videamus, quam causam affectuum in hominibus ipsis sitam docuerint praeter illam assensionem, quam a nonnullis ipsum affectum nominatam esse vidimus, qua de re omnino videas Salm. p. 90. ss. Multae causae, quas affectuum esse dicit Chrysippus Gal. V, p. 406, sine dubio sunt res externae, quae visa ad animas afferunt, e. g. in Menelao pulchritudo Helenae affectum excitavit, in Eriphyle aurum, in aliis aliud quiddam. Galenus in libro quarto dogm. Plat. et Hippocr. se ex multis Stoicis iisque illo tempore clarissi-

mis quaesivisse narrat, qnae tandem motus affectuum causa esset ponenda, hos autem nil certi respondisse, sed modo illos motus sine causa fieri, modo rationem cansam eorum esse dixisse (qui hanc causam afferebant sibi constantissimi fuisse et rectissime respondisse videntur ad interrogata), qua in re magnam partem falsa retulisse Galenum certum est, cum ipse postea etiam Chrysippum accnset, quod affectus sine causa fieri docuerit et tum tamen illum aliquas causas horum motuum posuisse tradat. Immo Stoicos cansam quandam praeter res externas in homine ipso statuisse et ex Cicerone et ex Diogene et ex ipso Galeno apparet, sine qna res externae visa quidem movere possunt, sed non efficiunt, ut homines iis assentiantur. Cicero Tusc. qu. IV, 9 docet omnium affectuum fontem esse intemperantiam, cf. Acad. post. I, 10, ubi dicit immoderatam qnandam intemperantiam, quae sit a recta ratione defectio, sic aversa a praescriptione rationis, ut nullo modo appetitiones animi nec regi nec contineri queant. Quid autem haec intemperantia? Salmasius p. 93 putat eam esse ἀκράτειαν, quae ex communi sententia in hominibns affectus suscipientibus invenitur, sed intemperantia fere semper est ἀκολασία atque etiam ἀκολασίαν Ciceronem in mente habnisse elncet ex Tusc. qu. III, 8, ubi ei σωφροσύνη est temperantia, itaque ἀκολασία intemperantia. Omnino differentia ἀκολασίας et ἀκρατείας nota, quam explicatam habes apud Aristotelem eth. Nic. VII, Plutarchum de virt. mor. VI, in Stoicorum doctrinam non quadrat et si qui eam sustinere voluerunt certe sibi repugnaverunt. Nam πάθος ex eorum sententia judicio et voluntate suscipitur et semper in πάθει est perversio rationis humanae, ita ut ratio in illo, qui affectu move-

tur, recta esse non possit, cum ἀκρατής secundum notam definitionem rationem rectam quidem habeat, sed πάθος ratione validius sequatur. Neque ἐγκρατείας et σωφροσύνης usitata differentia apud eos valere potest, quia ἐγκράτεια ex nota definitione in anima sola pugna existit, in anima Stoicorum autem, quippe quae una sit et in omnibus motibus tota se inclinet, non potest oriri. Quapropter etiam ἐγκράτεια σωγροσύνῃ subjungitur Diog. VII, 92; Stob. ecl. eth. p. 112; neque existere potest differentia inter has virtutes apud Stoicos nisi subtilissima. Definitur ἐγκράτεια Stob. ecl. eth. p. 106 ἐπιστήμη ἀνυπέρβλητος τῶν κατὰ τὸν ὀρθὸν λόγον φανέντων et Chrysippus nominat ἐγκράτειαν Plut. de virt. mor. IX ἕξιν ἀκολουθητικὴν τῷ αἱροῦντι λόγῳ et σωφροσύνη definitur Stob. ecl. eth. p. 102 ἐπιστήμη αἱρετῶν καὶ φευκτῶν καὶ οὐδετέρων, ita ut in ἐγκρατείᾳ etiam illud ἐμμένειν in iis, quae secundum rectam rationem se habeant, praevaleat, quod ne in σωφροσύνῃ quidem deesse potest. Itaque Stoici, siquidem usitatam differentiam sustinere non potuerunt, in distinguendis his virtutibus et contrariis vitiis certe argutati sunt. ἀκολασίαν autem eam esse, quae mater sit affectuum ex doctrina Stoicorum, apparet etiam ex Stob. ecl. eth. p. 112: τῆς σωφροσύνης ἴδιον κεφάλαιόν ἐστι τὸ παρέχεσθαι τὰς ὁρμὰς εὐσταθεῖς καὶ θεωρεῖν αὐτὰς προηγουμένως, cum secundum hunc locum, si impetus non reguntur neque continentur, hoc sit ἀκολασίας, quae ex definitione σωφροσύνης erit inscientia eorum, quae facienda et fugienda sint; et ex hac inscientia vel defectione a recta ratione et a tota mente oriuntur omnes affectus, cum hac inscientia homines facile adducantur, ut visis, quaecunque offeruntur, assentiantur et haec congruunt cum Diogene, qui VII, 110 refert ἐκ

τῆς διαστροφῆς ἐπὶ τὴν διάνοιαν πολλὰ πάθη βλαστάνειν et cum Plutarcho, qui de virt. mor. VII. πάθος λόγον ἀκόλαστον nominat. Hanc causam affectuum multos Stoicos etiam ἀκράτειαν nominasse communi sententiae cedentes (cf. Gal. V, p. 387, ubi Chrysippus τοιαύτας καταστάσεις int. πάθη dicit esse ἀκρατεῖς ὡς ἂν οὐ κρατούντων ἑαυτῶν) verisimile est, sed, si sibi constare volebant, removere debebant ab ea notam definitionem; nam qui affectu movetur secundum Stoicos credit sibi ita agendum esse, ἀκρατής autem secundum significationem vulgarem servat quidem judicia recta, sed visorum magnitudine abripitur, ut contra ea agat. Et si tamen differentiam Stoicam inter ἀκράτειαν et ἀκολασίαν statuere velis, recte nescio an dicas incontinentem, postquam fuerit in affectibus, mox recta judicia suscipere, sed facillime iterum deponere visis oblatis, intemperantem in pravis judiciis semper versari, quae quidem differentia ad affectus excitandos nil valet.

Camerarius intemperantiam Ciceronis ἀμετρίαν vel ἀσυμμετρίαν esse putat, cf. ed. Moseri Tusc. qu. in locum laudatum, quae quidem, quamvis sint usurpatae a Chrysippo in doctrina de affectibus sicut etiam συμμετρία et pertineant ad ὁρμὴν πλεονάζουσαν, tamen certissime a Cicerone causae affectuum non sunt habitae.

Alio loco Tusc. qu. IV, 15 Cicero dicit ex vitiositate concitari motus illos animi, id quod aliis locis haudquaquam repugnat, cum κακία vitiositas intemperantiam etiam complectatur.

Hujus intemperantiae Salmasius putat causam habuisse Chrysippum ἀτονίαν et ἀσθένειαν animae, quas Chrysippum praeter magnitudinem visorum causam quarundam pravarum actionum et affectuum statuisse ex pluribus

locis Galeni constat, inprimis ex fragmento Posidonii V, p. 398, cf. fragmenta Chrysippi ipsius p. 404 s., quibus opponit εὐτονίαν et ἰσχύν, quas habere dicitur is, qui in judiciis suis perseverat et non interrupto tenore ad ea, quae assequi vult tendit, cum illae ἀτονία et ἀσθένεια usurpentur de eo, qui judicata mentis non servat sed judiciis mutatis etiam actiones suas saepe permutat ἐνδόντος τοῦ τόνου τῆς ψυχῆς καὶ μὴ παραμείναντος ἕως παντὸς μήτ' ἐξυπηρετήσαντος τοῖς τοῦ λόγου προστάγμασιν Gal. V, p. 404. Sic Menelaus, quamquam consilium ceperat Helenam trucidare, tamen ubi pulchritudinem illius aspexit, judicium et consilium agendi mutavit infirmitate animi sui adductus, ita ut in eo ad mutandum consilium duo et pulchritudo visi pulchritudo Helenae et infirmitas ipsius animi valerent. Sed cur hanc ἀτονίαν et ἀσθένειαν causam illius fontis affectuum intemperantiae statuamus non video, cum ἀσθένεια et ἀτονία ex more Chrysippi a corporis similitudine ducta ipsa sit ἀκράτεια, quae etiam ἀσθενείᾳ nomine jam similis est et efficit, ut homines magnis visis oblatis resistere non possint neque in judiciis rectis permaneant, sed prava suscipiant, id quod iis, qui robore animi sunt, non accidit, quippe qui semper judicia sua retineant temperantibus et continentibus pares. — Apud recentiores Stoicos nil de hoc affectuum fonte invenimus.

Natura communi affectuum sic exposita aggrediamur jam ad eorum partitiones in genera et species et horum definitiones, qua in quaestione Stoicos acutissime esse versatos Cicero testatur, qui illos hac in parte prorsus sequitur. Posteriores Stoici partiendis et definiendis affectibus operam dedisse non videntur, attamen partitiones universales priorum ab iis esse reservatas ex

scriptis eorum possumus cognoscere. Quatuor esse affectus generales docuerunt Stoici ex duobus opinatis bonis et ex duobus opinatis malis ratione habita et futuri et praesentis temporis, ἐπιθυμίαν, quam vocat Cicero libidinem seu cupiditatem, ex opinato bono futuro, φόβον metum ex opinato malo futuro, ἡδονήν, quam Cicero mavult reddere laetitiam quam voluptatem, ex opinato bono praesenti, λύπην aegritudinem ex opinato malo praesenti Cic. Tusc. qu. IV, 6 sq., Stob. ecl. eth. p. 166 ss., Diog. VII, 110 ss. Antecedere putant libidinem et metum, subsequi antem voluptatem et aegritudinem, voluptatem, si ea assecuti simus, quae cupiamus, vel effugerimus quae timeamus, aegritudinem, si quae cupiamus non assecuti simus vel in formidata inciderimus Stob. ecl. eth. p. 168. Definitiones horum quatuor generalium locis laudatis etiam nobis servatae sunt, quae, quamvis differant inter se, tamen Stoicorum propriae et magis minusve aut Zenonis aut Chrysippi videntur esse.

Zenonis definitiones invenire nobis videmur apud Stobaeum, qui ἐπιθυμίαν dicit esse ὄρεξιν ἀπειθῆ λόγῳ, αἴτιον δ' αὐτῆς τὸ δοξάζειν ἀγαθὸν ἐπιφέρεσθαι οὗ παρόντος εὖ ἀπαλλάξομεν τῆς δόξης αὐτῆς τὸ ἀτάκτως κινητικὸν καὶ πρόςφατον ἐχούσης, et similiter se habent reliquorum affectuum definitiones, ita ut φόβος sit ἔκκλισις ἀπειθὴς λόγῳ, αἴτιον δ'αὐτοῦ τὸ δοξάζειν κακὸν ἐπιφέρεσθαι τῆς δόξης τὸ κινητικὸν καὶ πρόςφατον ἐχούσης τοῦ ὄντως αὐτὸ φευκτὸν εἶναι· λύπη συστολὴ ψυχῆς ἀπειθὴς λόγῳ, αἴτιον δ' αὐτῆς τὸ δοξάζειν πρόςφατον κακὸν παρεῖναι ἐφ' ᾧ καθήκει συστέλλεσθαι· ἡδονὴ ἔπαρσις ψυχῆς ἀπειθὴς λόγῳ, αἴτιον δ αὐτῆς τὸ δοξάζειν πρόςφατον ἀγαθὸν παρεῖναι ἐφ' ᾧ καθήκει ἐπαίρεσθαι, quae postrema dedimus secundum restitutionem Salmasii. Breviores hae definitiones a

Diogene redduntur, ita ut causa non addatur. Omnes hae universali Zenonis affectus definitioni respondent, qui πάθη τὰ κρίσεσιν ἐπιγιγνόμενα non κρίσεις ipsas esse censuit, una apud Diogenem excepta, metus, qui definitur προςδοκία κακοῦ in morem Chrysippi, id quod mox videbimus. Hujus enim definitiones exhibentur apud Galenum de dogm. Plat. et Hippocr. ll. IV et V, ita ut aegritudo sit δόξα πρόςφατος κακοῦ παρουσίας, metus προςδοκία κακοῦ, voluptas δόξα πρόςφατος ἀγαθοῦ παρουσίας p. 366, definitio autem cupiditatis metu respondens non inveniatur, cum ea semper nominetur ὄρεξις ἄλογος. Sed nescio an nobis cum Salmasio liceat etiam cupiditatis fuisse definitionem Chrysippeam ceteris similem προςδοκίαν ἀγαθοῦ pro certo habere. — A Cicerone videntur Chrysippeae et Zenoneae definitiones saepius misceri, quamquam priores apud eum praevalent. Sic aegritudo ei est „opinio recens mali praesentis, in quo demitti contrahique animo (malim animum) rectum esse videatur", laetitia „opinio recens boni praesentis, in quo efferri rectum esse videatur", libido „opinio venturi boni, quod sit ex usu jam praesens esse atque adesse", metus „opinio impendentis mali, quod intolerabile esse videatur", quas omnes Chrysippi esse agnosco, quamvis Salmasius, quem omnino conferas de his definitionibus eorumque auctoribus, has quoque inprimis laetitiae et aegritudinis ex Chrysippeis et Zenoneis particulis esse mixtas contendat. Priorem enim illarum partem censet esse Chrysippi, cum posterior pars, qua dicitur in opinione inesse, ut aut contrahi aut efferri rectum esse videatur, certissime sit Zenonis. At etiam Chrysippum talia in doctrina de affectibus protulisse apparet ex fragmento Posidonii Gal. V, p. 397: εἰ γὰρ τὸ μέγεθος τῶν φαινομένων ἀγαθῶν ἢ κακῶν

κινεῖ τὸ νομίζειν καθῆκον καὶ κατ' ἀξίαν εἶναι παρόντων αὐτῶν ἢ παραγινομένων μηδένα λόγον προσίεσθαι περὶ τοῦ ἄλλως δεῖν ὑπ' αὐτῶν κινεῖσθαι κ.τ.λ. cf. p. 399 l. 4 ss., id quod etiam confirmatur a Cicerone Tusc. qu. III, 31, ita ut in ipsis definitionibus hanc notam accepisse Chrysippum credere possimus. Mirum autem est, cur haec nota in solis definitionibus affectuum de praesenti bono vel malo et apud Ciceronem et apud Stobaeum inveniatur, cum equidem non videam, cur in opinionibus, quae metum et cupiditatem proferunt, illud non etiam inesse debeat, ut rectum videatur aut appetere aut evitare illud bonum vel malum, atque hanc notam certe in cupiditate inesse cognoscere nobis videmur ex fragmento Posidonii Gal. V, p. 401 s. — Hanc notam autem multum valere in definitionibus jam ex eo videmus, quod Chrysippus caput esse censet in consolando detrahere illam opinionem maerenti, si se officio fungi putet justo atque debito Cic. l. l.

Alteram notam in definitionibus affectuum quorundam generalium accedere videmus nempe illud πρόςφατον. Quid sit πρόςφατος nos docet Posidonius Gal. V, p. 416 τὸ ὑπόγυιον κατὰ τὸν χρόνον et Stobaeus ecl. eth. p. 170 τὸ δὲ πρόςφατον ἀντὶ τοῦ κινητικοῦ συστολῆς ἀλόγου ἢ ἐπάρσεως. Cicero reddit πρόςφατον „recens“, quod sic explicat, ut, quamdiu in illo opinato malo vel bono vis quaedam insit et vigeat et habeat quandam viriditatem, tamdiu illud recens appellari dicat Tusc. qu. III, 31. Sed Cicero hac in re sibi non constans est; nam, cum antea dixerit addi ad definitionem, ut illa opinio sit recens, postea recens sic interpretatur, quasi referendum sit ad malum in aegritudine, et in definitionibus ipsis affectuum iterum ad judicia addit, quamvis non

magni intersit, utrum malum vel bonum, de quo judicium est, esse recens dicam, an ipsum judicium recens nominem, id quod Salmasius ipse concedit, neque ipsorum Stoicorum magni interfuisse, quo hoc recens referretur, apparet ex verbis Posidonii, quae nobis servavit Galenus V, p. 416. Hoc recens autem a Cicerone et Chrysippo tribuitur solis opinionibus de praesenti bono vel malo, voluptati et aegritudini, a Stobaeo autem in explicanda affectuum causa hoc πρόςφατον in omnibus quatuor definitionibus invenimus, ita ut in metu et cupiditate ipsa opinio hoc πρόςφατον habeat, in ceteris ambabus dubium sit, num πρόςφατον ad δοξάζειν an ad κακόν et ἀγαθόν referamus. Rectius tamen cum Salmasio p. 58 ad κακόν et ἀγαθόν referendum esse censebimus atque cum eodem Salmasio Stobaeum in explicanda causa metus et cupiditatis πρόςφατον de suo inseruisse putabimus, cum neque usquam alibi inveniamus hoc in metu et cupiditate adjectum, et antea Stobaeus ipse πρόςφατον explicans κινητικὸν συστολῆς ἀλόγου ἢ ἐπάρσεως aegritudinem et voluptatem solam respexerit et in definitionibus ipsis dicens τῆς δόξης αὐτῆς ἐχούσης τὸ κινητικὸν καὶ πρόςφατον idem his dicat. Additum esse videtur hoc πρόςφατον in definitionibus aegritudinis et voluptatis, ut significetur has etiam esse de praeterito bono vel malo. Ceterum de propria significatione προςφάτου et cur Stoici hoc in definitiones aegritudinis et voluptatis tantum receperint, ne diutius versemur hac in quaestione, conferas Salmasium, qui his de rebus fuse et acute disputat p. 58 ss., sicut etiam de προςδοκίᾳ, quam apud Chrysippum et Diogenem in definitione metus reperimus p. 79 s., ubi προςδοκίαν esse opinionem cum exspectatione vel boni vel mali explicat.

His generibus affectuum multi speciales subjunguntur, in quibus enumerandis et definiendis Cicero, Diogenes, Stobaeus non prorsus inter se consentiunt, cum alius plures, alius pauciores memoret. Sic aegritudini subiciuntur invidentia φθόνος, aemulatio ζῆλος, obtrectatio ζηλοτυπία, misericordia ἔλεος, angor ἄχθος, luctus πένθος, maeror apud Ciceronem solum, aerumna ὀδύνη, dolor, qui a Cicerone solo memoratur, lamentatio γόος Andron., sollicitudo, quae si definitiones respicimus ἀνία est, cum interpretes Ciceronis et Diogenis hanc molestiae respondere dicant, afflictatio ἄση, desperatio δυσθυμία Andron., praeter quae a Diogene memoratur σύγχυσις et συνόχλησις et a Stobaeo ἄχος; metu subjunguntur pigritia ὄκνος, pudor αἰσχύνη, terror, timor, quos ambos Cicero solus affert, pavor δεῖμα, exanimatio θόρυβος, conturbatio ἔκπληξις, formido δέος, a Stobaeo et Diogene additur ἀγωνία; voluptati malevolentia ἐπιχαιρεκακία, delectatio κήλησις, jactatio apud Ciceronem solum, quibus τέρψις et διάχυσις a Diogene adjungitur; cupiditati ira ὀργή, excandescentia θυμός, odium μῆνις, inimicitia κότος, discordia φιλονεικία, indigentia σπάνις, desiderium πόθος, quibus adnumeratur a Stobaeo et Diogene ἔρως et a Diogene solo μῖσος. Horum omnium definitiones huc apponere et quomodo Cicero, Diogenes, Stobaeus in his definitionibus inter se differant explicare et molestum neque ex re est, cum eas a Davisio in Ciceronem, a Menagio in Diogenem, a Heerenio ad Stobaeum compositas et inter se habeas comparatas. Sufficiat hic memorasse Stoicos non omnes affectus, qui alicui accidere possint, enumerasse nec hoc se fecisse credidisse, cum ne Cicero quidem omnes attulisse sibi videatur, qui his in partitionibus Stoicos prorsus sequitur.

His omnibus igitur affectibus vacare posse homines Stoici eo demonstrare conabantur, quod eos judicio et voluntate suscipi docebant et hoc in generalium quoque affectuum definitionibus respici cognoscimus, sed sapientem iis carere debere contendebant, quia iis tranquillitas et constantia animae prorsus perturbaretur. Affectibus enim judicia de rebus externis et internis fere quotidie mutantur, cum non sint nisi levia et falsa judicia, sapientis autem est semper idem velle et idem nolle Stob. ecl. eth. p. 234: οὐδὲ μεταβάλλεσθαι δὲ κατ' οὐδένα τρόπον (int. τὸν σοφόν) οὐδὲ μετατίθεσθαι οὐδὲ σφάλλεσθαι· ταῦτα γὰρ εἶναι πάντα τῶν τοῖς δόγμασι μεταπιπτόντων, ὅπερ ἀλλότριον εἶναι τοῦ νοῦν ἔχοντος, cf. verba Posidonii Gal. V, p. 469: τὸ δὴ τῶν παθῶν αἴτιον τουτέστι τῆς τε ἀνομολογίας καὶ τοῦ κακοδαίμονος βίου. Sapiens semper sibi constans est „licet etiam illam exceptiunculam non adicias, ut rectum sit, quod velis: non potest enim cuiquam idem semper placere nisi rectum" Sen. ep. 20 et ep. 95: „si vis eadem semper velle, vera oportet velis." Atque hanc vitam sibi concortem, hanc concordiam summum bonum esse animi, immo finem hominis docuerunt Stoici Sen. de vita beat. VIII „quare audaciter licet profitearis summum bonum esse animi concordiam"; Plut. adv. Stoic. VIII ἀγαθῶν μὲν εἶναι μέγιστον τὸ ἀμετάπτωτον ἐν ταῖς κρίσεσι καὶ βεβαιώσεσι, cf. Epict. diss. II, 21, 23, id quod etiam jam Zeno exprimere voluisse videtur, si quidem Stobaeo fidem habemus ecl. eth. p. 132 s. τὸ τε τέλος ὁ μὲν Ζήνων ἀπέδωκε τὸ ὁμολογουμένως ζῆν. Τοῦτο δ' ἐστὶ καθ' ἕνα λόγον καὶ σύμφωνον ζῆν ὡς τῶν μαχομένων ζώων κακοδαιμονούντων, cum Cleanthes posterius adjecerit ad ὁμολογουμένως τῇ φύσει, quod Diogenes jam Zenoni tribuit. Sed Stobaeum hic vera

retulisse etiam testatur illa decantata ὁμολογία Stoicorum, quam Cicero saepius memorat de finn. III, 6 et convenientiam nominat, et ἀνομολογία, de qua Chrysippus plures libros scripsit et quae fere discordia esse videtur. Illud τῇ φύσει vel κατ' ἀρετήν adici non oportuit, cum judicium secundum Senecam non conservaretur, nisi verum et rectum, itaque ne fieri quidem posset, ut quis sibi concors viveret, quin simul illi rationi obediret, quae totam naturam et unumquemque penetraret hominem. Cf. de his rebus Lipsium manud. II. diss. XIV. Haec igitur convenientia sive concordia affectibus semper perturbatur, itaque hos omnes mentis vitaeque tranquillae inimicissimos a sapiente suo remotos esse voluerunt Stoici eumque ἀπαθῆ fecerunt et ab eo secluserunt quidquid prohibere posset, quin ὁμολογουμένως vel ὁμολογουμένως τῇ φύσει viveret, quapropter etiam contra naturam esse docuerunt affectus, qua contrarea homines omnes adducerentur πρὸς τὴν τῶν ὁρμῶν εὐστάθειαν Stob. ecl. eth. p. 108. Immo sapientem ne opinaturum quidem esse, cum opiniones facile possent mutari, sed semper habere scientiam, quae esset firma et immutabilis, tradiderunt. Sic suo jure Cicero affectus animi perturbationes nominat, quia illis revera homo perturbatur neque illis motus tranquillitatem sibi potest parare, eodemque modo apud Epictetum ἀταραξία et ταράττειν saepissime usurpatur, ego tamen malui πάθη affectus vertere, qua voce Seneca ipse Stoicus semper est usus. Atque his perturbationibus Cicero constantias opponit, quas Stoici εὐπαθείας vocant, quae non sunt levia judicia, quae facile possunt immutari, sed judicia, quae sapientis propria sunt et semper ei conservanda, judicia recta illis falsis respondentia, quae illis pares

impetum movent quendam sed rationi rectae obtemperantem neque naturae adversantem neque excurrentem.

Quamquam enim sapiens Stoicorum affectibus omnino vacat, turbidis his omnibus motibus animi non perturbatur, tamen εὐπαθής esse potest, i. e. quas vocabant Stoici εὐπαθείας habere, motus animi similes illis affectibus rectos. Quomodo oriantur hae εὐπάθειαι dicit Plutarchus de virt. mor. IX: γίνεται γὰρ εὐπάθεια τοῦ λογισμοῦ τὸ πάθος οὐκ ἀναιροῦντος ἀλλὰ κοσμοῦντος καὶ τάττοντος ἐν τοῖς σωφρονοῦσιν. Itaque tamen aliquid recti quamquam artissimis finibus circumscriptum in affectibus inesse Stoici concedebant, quod ratione communi eaque recta adhibita in sapientem cadat, etsi verba τόν λογισμὸν τὸ πάθος κοσμεῖν καὶ τάττειν num ipsorum Stoicorum sint dubito, quia πάθη prorsus tollenda esse semper docebant neque ratione ornanda et temperanda. Itaque Plutarchus quomodo ipse εὐπαθείας existere putaret hic breviter explicasse videtur. Quocirca ipsi originem εὐπαθειῶν ex mente Stoicorum nobis construere conemur. Si visum alicujus boni vel mali comprehensibile sapienti accedit, ille hoc approbat et haec assensio in eo fit immutabilis et firma, ἐπιστήμη, sin autem haec assensio, quam δόξαν in sapiente nominare non licet, habet τὸ κινητικὸν ὁρμῆς, etiam κίνησις animae oritur, quae neque ex visorum magnitudine neque ex ipsius sapientis infirmitate illum excessum, quem in affectibus invenimus, potest accipere itaque obedit rationi, est εὔλογος. Sed hi motus, sive assensiones illos nominas sive impetus, mutari non possunt, quoniam scientia nituntur, id quod a Seneca firmari legimus ep. 59, 2: „gaudio junctum est non desinere nec in contrarium verti.“ Atque hac ex causa Cicero has εὐπαθείας con-

stantias reddit, quod, simulatque sint ortae, semper manent omnibus modis oppositae affectibus.

Tres εὐπαθείας voluerunt esse Stoici, χαράν gaudium oppositam voluptati, βούλησιν voluntatem oppositam cupiditati, εὐλάβειαν cautionem oppositam metu, quae omnes tres in sapientem solum possunt cadere, cum insipiens metuat, cupiat, voluptati se tradat. Aegritudini autem nullam εὐπάθειαν opposuerunt, quod simile quiddam aegritudinis in sapientis anima nunquam oriretur, qui omni malo careret. Cf. de his εὐπαθείαις Cic. Tusc. qu. IV, 6; Diog. VII, 116; Plut. de virt. mor. VIII; August. de civit. Dei XIV, 8; Lact. div. inst. VI, 15. Lactantius l. l. Stoicos censet alia quaedam solis nominibus mutatis in locum affectuum supposuisse, in illa quarta autem aegritudine eos immutandi nominis rationem defecisse ideoque aegritudinem prorsus esse sublatam, quam sententiam reicere operae non est pretium.

Definiuntur hae constantiae apud Diogenem ita ut βούλησις sit εὔλογος ὄρεξις, cf. Stob. ecl. eth. p. 164, χαρὰ εὔλογος ἔπαρσις, εὐλάβεια εὔλογος ἔκκλισις, quibuscum definitiones Ciceronianae omnino conveniunt, cum e. g. cautio sit declinatio, quae ratione fit, et aliae simili modo se habeant. Effici autem non possunt ex opinatis malis et bonis sicut affectus, sed ex veris, itaque ne affectus quidem, quippe qui orti sint ex opinatis bonis vel malis, mutari possunt in constantias neque ratione ornari. Quae autem bona sapienti sunt? Ex rigidiorum Stoicorum doctrina sola ea, quae in ipso sunt posita, itaque etiam ex solis iis, quae in nostra voluntate sunt sita, hae εὐπάθειαι possunt oriri. Sic βούλησις, quae est boni futuri, ea bona sola respicit, quae sapienti bona sunt, ideoque virtutes nec ullum aliud bonum cupere

sapienti licet; εὐλάβεια, quae est de malo futuro, sola ea mala evitare debet, quae in sapientis animum irruptura sunt atque eum de statu suo dejectura Epict. diss. II, 1: ὅπου δὲ προαιρετικὰ ἐκεῖ ἡ εὐλάβεια· εἰ γὰρ ἐν κακῇ προαιρέσει τὸ κακὸν, πρὸς μόνα ταῦτα χρῆσθαι ἄξιον τῇ εὐλαβείᾳ, contra ea, quae non sunt sita in nostra potestate, quae non attingunt sapientis animum, θάρρος est opponendum. Ut mala autem patiatur sapiens, omnino fieri non potest. Cum enim mala sint vitia sola animae et similia, sapiens, si quid tale in eum inciderit, de statu suo est dejectus neque sapiens jam vocandus, quapropter tristitia, quae respondeat aegritudini stultorum, non cruciatur, cum malis, quae vulgo vocantur, e. g. morbo, exilio, aliis animus ejus omnino non afficiatur. Sed bona praesentia semper habet sapiens, quia virtutibus omnibus est praeditus ideoque semper est in gaudio, quae est „animi elatio suis bonis verisque fidentis" Sen. ep. 59, 2, et sic voluptatis quid simile in sapiente Stoici admittebant neque Plutarcho fides est habenda, qui omne gaudium a sapiente Stoicorum removeri dicit adv. Stoic. VIII: τοῦτο πέπονθεν ὁ τούτων σοφός· ἐκ γὰρ τῆς ἄκρας κακίας μεταβαλὼν εἰς τὴν ἄκραν ἀρετὴν καὶ ἀθλιώτατον βίον διαφυγὼν ἅμα καὶ κτησάμενος τὸν μακαριώτατον οὐδὲν ἐπίδηλον εἰς χαρὰν ἔσχεν κ.τ.λ., qui quidem sibi ipse repugnat, cum de virt. mor. VII de constantiis Stoicorum et de gaudio, quo sapiens eorum possit moveri, referat.

Sicut autem sub generalibus affectibus multae species subjunguntur, sic etiam Stoici εὐπαθείαις quasdam species subiciunt Diog. VII, 116, et βουλήσει sunt subjectae εὔνοια, εὐμένεια, ἀσπασμὸς, ἀγάπησις, χαρᾷ τέρψις, quam quidem in affectuum numero jam invenimus, εὐφροσύνη,

εὐθυμία, εὐλαβείᾳ ἁγνεία et αἰδώς, quam Plutarchus quoque de virt. mor. l. l. memorat. —

Quis Stoicorum hanc doctrinam de bonis affectibus primus sit professus, aut quis eam praecipue excoluerit, nescimus, cum ne in ullo quidem scriptore, qui quicquam de hac re prodidit, nomen Stoici alicujus nominetur. Neque quanti momenti haec doctrina apud eos fuerit a quoquam discimus, tamen conicere posse mihi videor non ita multum eam valuisse neque fuisse valde excultam a Stoicis, quia paucissima sunt, quae nobis hac de re a scriptoribus servata sunt, et quod eos hanc doctrinam de rectis motibus animi in primis posuisse non est verisimile, quoniam his in rebus praecipue in doctrina de voluptate contra Aristippum et Epicurum ab Antisthene fere stetisse videntur.

His absolutis liceat mihi paucis de voluptate seorsim disserere, quae, quamquam eam in affectibus, quibus sapiens carere debeat, poni vidimus, tamen saepius inter ἀδιάφορα οὐ προηγμένα numeratur apud Sextum adv. math. p. 704, apud Diogenem VII, 102 inter οὐδέτερα, ὅσα μήτε ὠφελεῖ μήτε βλάπτει, apud Stobaeum ecl. eth. p. 146, cf. p. 92 inter οὔτε τὰ προηγμένα οὔτε ἀπροηγμένα, cum πάθη ipsa sint κακὰ μὴ ἀναγκαῖα Stob. p. 138, itaque etiam ἡδονή in his numeranda sit. Cleanthes solus a Sexto laudatur, qui a constantia disciplinae Stoicae non recesserit et voluptatem contra naturam esse neque quicquam habere pretii docuerit. Alii autem — quot fuerint excepti nescimus — in doctrina de voluptate cum doctrina universali de affectibus et de ἀπαθείᾳ non conveniebant, voluptatem in adiaphoris ponebant et esse κατὰ φύσιν censebant. Natura quidem nullum animal voluptatem appetere docebant hac in re contra Aristippum

et Epicurum acerrime pugnantes, sed primum motum omnium animalium esse ad se conservandum et, simulatque animal natum sit, sibi ipsum conciliari et commendari, ut et suae conservationi utilia appetat et noxia devitet Cic. de finn. III, 5; Diog. VII, 85 et quae huic conservationi animalis cujusque inserviunt πρῶτα κατὰ φύσιν nominantur, quae Cicero principia naturalia vocat vel prima naturae Varronem secutus August. de civ. Dei XIX, 1 et 2, de qnibns omnino videas Madvigii in Cic. de finn. excursum quartum p. 828 ss. Sed ne in his quidem principiis naturalibus multi Stoici sibi constantes voluptatem posuerunt, ne multa turpia, si in his primis motibus voluptatem natura inclusisset, sequerentur, nonnulli tamen ἐπιγέννημα ἡδονὴν εἶναι dixerunt, ὅταν αὐτὴ καθ' αὑτὴν ἡ φύσις ἐπιζητήσασα τὰ ἐναρμόζοντα τῇ συστάσει ἀπολάβῃ Diog. l. l., a quibus etiam concedendum erat, si sibi voluerunt constare, animalia in illis primis secundum naturam motibns, si quae appeterent non assecuta essent, aegritudine cruciari. — Ab his principiis naturae autem homo, simulatque intellegentia orta est, amovetur et ordinem et concordiam naturae admiratur, qna re permovetur, ut convenientiam summnm bonum existimet eamque expetat, quam cum adeptus est, gaudio afficitur sentiens se cum summa natura conspirare et sibi esse concordem, quod gaudium etiam ἐπιγέννημα est Diog. VII, 94, hoc est, affectus subsequens, cum ejus causa res, ex qua subsequitur, non expetatur, sed semper sua ipsius cansa comparetur. „Sunt ista bona (int. gaudium et similia) sed consequentia summum bonum non consummantia" Sen. de vita beat. 15, 2. Qna re elucet Stoicos sapienti voluptate non prorsus interdixisse eamque quasi duplicem

statuisse, alteram autem, cui quidem nomen voluptati apud eos non erat, in sapiente de virtute, quam totam possideret, inesse.

Ad naturam affectuum cognoscendam fere nil valet memorare eos Stoicis et malos et bonos, ut ita dicam, σώματα fuisse, quod πᾶν τὸ ποιοῦν σῶμα Diog. VII, 56, immo ζῶα λογικά Plut. adv. Stoic. XLV.

Restat, ut de morbis animae et de medelis affectuum brevissime disputem. Stoici enim ex perturbationibus, si judicia eorum inveteraverint, morbos νοσήματα fieri docent et aegrotationes ἀρρωστήματα, quae sint opinationes vehementes de rebus non expetendis, tanquam valde expetendae sint, inhaerentes et penitus insitae, iisque oppositas esse contrarias offensiones, quae sint opiniones vehementes de rebus non fugiendis tanquam fugiendis inhaerentes et penitus insitae, aegrotationem esse autem morbum cum imbecillitate; quae differentia inter νόσημα et ἀρρώστημα non satis est perspicua. Tales morbos vel aegrotationes esse avaritiam, ambitionem, alia et offensiones odium mulierum, inhospitalitatem alia Cic. Tusc. qu. IV, 10 ss.; Diog. VII, 115; Stob. ecl. eth. p. 182 s., cf. inprimis Tiedemannum III. p. 261 ss. Has voces sumebant ex corporis similitudine et huic collationi priores Stoici magnam operam navabant, cum posteriores in talibus argutiis non jam versati esse videantur, cf. Sen. ep. 75, 10—12, qui simplicissimis verbis differentiam inter morbum et aegrotationem explicat, neque tale quicquam in Epicteto vel Marco Aurelio invenimus. Ceterum hos morbos solis duobus affectibus cupiditati et metu respondere jam ex eorum definitionibus apparet.

Quomodo autem affectus et morbi animi sanentur et

caveantur perexigua Stoicorum priorum est oratio et Cic. libro tertio et quarto Tusc. qu. partim suo Marte remedia et cautiones affectuum videtur explicare. Cautionem autem optimam esse dicunt omnes res humanas praemeditari, ne quid necopinatum et subitum feriat quemquam, cum omnia praemeditata facilius ferri possint, cf. multos locos Ciceronis et Senecae, praecipue ep. 91: „Nil nobis improvisum esse debet — cogitanda ergo sunt omnia et animus adversus ea, quae possunt evenire, firmandus". Cum affectus jam adsint, duplicem esse rationem medendi iis nixam doctrina, qua affectus aut judicia sint aut judicio et arbitrio suscepta, ut aut detrahatur illud judicium de falso bono vel falso malo, aut illa opinio e. g. maerenti tollatur, si rectum esse putet contrahi, cujus prioris auctor fuisse Cleanthes, posterioris Chrysippus a Cicerone dicitur Tusc. qu. III, 31.

Communi Stoicorum de affectibus doctrina jam exposita veniamus nunc ad singulos visuri, quid uniuscujusque, de quo nobis aliquid est traditum, inveniamus proprium. Zenonem patrem Stoicorum librum περὶ παθῶν scripsisse patet ex Diog. VII, 110, et partitionem et definitiones affectuum non solum eas, quas nobis idem tradit, sed etiam eas, quae apud Stobaeum inveniuntur, quamvis sint aliquantulo locupletiores, quoniam omnino cum Diogenis conveniunt, Zenoneas esse verisimile est. Itaque Zeno affectus sic definiebat, ut effectibus judiciorum ὁρμῇ πλεοναζούσῃ plurime niteretur, tamen judicia causas esse hujus impetus excurrentis semper docebat, quocirca etiam Galenus Zenoni affectus fuisse τὰ κρίσεσι ἐπιγιγνόμενα tradit, quibus verbis num Zeno ipse usus sit dubito, cum ipse Galenus dicat V, p. 478 εἰ δ' ὅπερ ἐγὼ πείθομαι κρίσεσιν ἐπιγίγνεσθαι τὰ πάθη νομίζει (Ζήνων).

Tamen Zenonem in definiendis affectibus interdum fluctuasse neque idem semper docuisse intellegere possumus ex Posidonii fragmento Gal. V, p. 416: ὁ γοῦν ὅρος οὗτος ὁ τῆς ἄσης (fortasse λύπης) ὥσπερ οὖν καὶ ἄλλοι πολλοὶ τῶν παθῶν ὑπό τε Ζήνωνος εἰρημένοι καὶ πρὸς τοῦ Χρυσίππου γεγραμμένοι σαφῶς ἐξελέγχουσι τὴν γνώμην αὐτοῦ· δόξαν γὰρ εἶναι πρόσφατον τὸ κακὸν αὐτῷ παρεῖναί φησι τὴν λύπην et ex Gal. V, p. 377: οὐ τὰς κρίσεις αὐτὰς (int. Ζήνων καὶ ἄλλοι) τῆς ψυχῆς ἀλλὰ καὶ τὰς ἐπὶ ταύταις ἀλόγους συστολάς κ.τ.λ. ὑπολαμβάνουσιν εἶναι τὰ τῆς ψυχῆς πάθη, quo quidem in loco nescio an illud καί cum Davisio possimus delere, ut ex eo propria sententia Zenonis eluceat. — Contrarea autem Posidonius, sicut Galenus refert V, p. 390, periculum fecit doctrinam Zenonis et Platonis eandem esse demonstrandi itaque declarandi Zenonem tres partes animae humanae statuisse, in quarum duabus rationis expertibus affectus orirentur, sed Zenonem et rationem et affectus in corde posuisse neque in diversis corporis partibus sicut Platonem apparet ex Galeno V, p. 294, quocirca eum ne diversas quidem partes animae putasse verisimile est, id quod confirmatur a Cic. Acad. post. I, 10, qui prodit Zenonem illis antiquis non fuisse assensum, qui perturbationes naturales esse dixissent aliaque in parte animi cupiditatem, alia affectus posuissent. — Num A. Gellius IX, 5, 5 nobis recte referat Zenonem censuisse voluptatem esse ἀδιάφορον, i. e. neutrum neque malum neque bonum, dubito, cum primi Stoici rigidiores posterioribus in doctrina de voluptate magis a Cynicis steterint inprimis Zeno, qui Cratete Cynico usus erat praeceptore, et illud, quod postea Gellius narrat Critolaum Peripateticum dixisse malum esse voluptatem et multa alia mala parere ex se, non

minus in dubium vocari posse videatur, ne mentionem faciamus Ciceronis, qui pluribus locis Zenonem omnibus affectibus vacare sapientem docuisse nobis tradit.

Cleanthem Zenonis successorem scripsisse περὶ ἡδονῆς nobis refert Diog. VII, 175 eumque versatum esse omnino in doctrina de affectibus eosque opinione et judicio suscipi judicasse ex loco Ciceronis, quem supra attulimus, Tusc. qu. III, 31 videmus, ubi Cicero Cleanthem narrat in tollenda aegritudine id unum officium consolantis putasse, ostendere malum non esse illud, de quo aegritudo esset concepta, quod remedium postea a Cicerone valde vituperatur, quippe quod hominibus non luctum sed stultitiam detrahat. Contrarea iterum Posidonius Cleanthem in diversis animae partibus affectus et rationem posuisse demonstrare cupit ex quibusdam versibus alternis Cleanthis Gal. V, p. 476:

ΛΟΓΙΣΜ. Τί ποτ' ἔσθ' ὅ, τι βούλει θυμέ; τοῦτό μοι φράσον.
ΘΥΜ. Ἔχω λογισμὲ πᾶν ὃ βούλομαι ποιεῖν.
ΛΟΓΙΣΜ. Βασιλικόν γε πλὴν ὅμως εἰπὸν πάλιν.
ΘΥΜ. Ὅσ' ἂν ἐπιθυμῶ, ταῦθ' ὅπως γενήσεται.

De quibus videatur Wyttenbachius in annotatione ad Bakii Posidonii Rhodii reliquias doctrinae p. 285 s. Ex his apparere censet Posidonius Cleanthem diversas partes animae statuisse, quas inter se colloqui faciat eademque sententia Galenus est V, p. 478 dicens: εἰ δὲ ταῖς τοῦ Πλάτωνος ἕποιτο (Ζήνων) Κλεάνθει τε καὶ Ποσειδωνίῳ κ.τ.λ. Attamen Posidonius suae ipsius doctrinae inter Stoicos ipsos auctores quaerit itaque Zenonem et Cleanthem ad Platonis doctrinam adducere conatur et, si quid illi dixerint dubii et ambigui, statim in suum commodum vertit et Galenus ei semper temere suffragatur, quamquam V, p. 532 etiam a Cleanthe affectus in

corde positos esse dicit, ita ut horum duorum judicia non magni momenti sint. Favere autem hos versus Platonis placitis negare non possumus, sed Cleanthes nescio an in poemate dixerit qualia in disputatione philosophica non fuisset dicturus. Omnino cum Zenone in philosophia non valde dissentit itaque ne in hac doctrina ab illo discrepantia docuisse censebimus. Rigide eum censuisse voluptatem nec esse naturalem nec quicquam pretii habere Sextus nos docet adv. math. p. 704, cf. Cic. Tusc. qu. II, 25.

Chrysippum prioribus multo subtilius et fusius de affectibus scripsisse, sicut de omnibus philosophiae partibus uberrime scripsit, apparet ex multis locis Galeni, cf. Diog. VII, 110. Quatuor satis copiosos libros de affectibus Chrysippus composuit Gal, V, p. 479, quorum tribus prioribus quaestiones logicas tractavit, quarto quomodo affectus sanarentur docuit, quocirca huic libro nomen fuit τὸ θεραπευτικόν vel τὸ ἠθικόν Gal. V, p. 364 s. et saepius. Neque Chrysippum solis libris de affectibus scriptis de his tractasse, sed etiam in libris περὶ ψυχῆς apparet ex multis locis secundi et tertii libri Galeni de dogm. Plat. et Hippocr., qui multa fragmenta et ex libris de affectibus scriptis et ex aliis ad affectus pertinentibus Chrysippeis nobis servavit eaque collecta habes in Baguetii commentatione de Chrysippi vita, doctrina et reliquiis in annalibus academ. Lovaniensibus anni IV p. 285—315, qui quidem ipsis fragmentis Chrysippi interdum explicatu difficilibus fere nullam lucem attulit.

Chrysippus praecipue id inculcabat esse affectus judicia, ita ut in arbitrio hominis esset eos suscipere et ponere, id quod ex definitionibus ejus, quas supra attulimus apparet, idque demonstrasse se putabat, si

affectus omnes in corde gigni, ubi etiam ratio posita esset, declarasset. Atque oriri eos in corde in libris περὶ ψυχῆς exponit non autem ratiocinationibus hoc demonstrans sed versibus ex quibuslibet poetis collectis usus, quapropter a Galeno valde castigatur, quippe qui saepissime versus laudaverit ad demonstrandum id, quod voluerit demonstrare, minime aptos. Praeterea autem Galenus idcirco saepe et vehementissime in Chrysippum invehitur, quod sibi non constans altero loco unam neque ex pluribus partibus seu facultatibus compositam esse animam contendat, altero autem tres facultates ejus rationis, concupiscendi, irascendi statuat, cum in primo libro de anima iram facultatis esse irascendi, amorem facultatis concupiscendi docuerit Gal. V, p. 364. Sed nullo loco Chrysippus has facultates a ratione diversas esse dixit itaque etiam in ira et amore totius animae inclinationem esse contendere potuit, quem impetum dixit esse facultatis irascendi vel concupiscendi, quod tota anima in amore vel ira esset occupata, cf. Salm. p. 63. Ad Chrysippum convincendum, quod diversas animae facultates statuerit et inprimis πάθος pugnare cum ratione docuerit, etiam pertinent duo fragmenta ejus ex libris περί ἀνομολογίας, quae invenies apud Plut. de virt. mor. X, qui dixit Stoicos re ipsa concedere τὸ ἄλογον diversum esse a parte animae rationem habente, verbis autem hoc semper negare. Simili modo Galenus eum accusat, quod praeter rationem aliam animae facultatem statuat, τόνον, cujus sint εὐτονία, ἀτονία, qui nonnunquam remittat neque morem gerat rationis imperiis, ut homines recedant ab iis, quae recta videantur et cadant in affectus V, p. 403 ss., quem τόνον quomodo Galenus sibi persuaserit a Chrysippo

quasi alteram facultatem propositum esse miror, cum τόνος totius animae sit proprius et εὐτονίᾳ et ἀτονίᾳ, ἀσθενείᾳ et ἰσχεῖ accuratius describatur, ita ut hae ipsae totius animae sint proprietates, cf. Salm. p. 95 ss.

Alia, quae a Galeno Chrysippo obiciuntur, jam Salmasius bene refutavit sicut illud: Chrysippum in sexto libro generalium definitionum ὄρεξιν definiisse ὁρμὴν λογικὴν ἐπί τι ὅσον χρὴ ἧδον αὐτῷ et in primo libro de affectibus ἐπιθυμίαν ὄρεξιν ἄλογον, ex quibus definitionibus sequi, ut ἐπιθυμία secundum Chrysippum sit ὁρμὴ λογικὴ ἐπί τι ὅσον χρὴ ἧδον αὐτῷ ἄλογος Salm. p. 65 et illud, quod Chrysippus alio loco affectus ἄνευ κρίσεως oriri dicat et alio ipsos κρίσεις nominet p. 82 ss. Neque illud magni momenti est, quod Galenus Chrysippo saepe obicit, modo eum ἀλόγους κινήσεις ψυχῆς esse affectus contendere modo λογικῆς δυνάμεως. Quomodo enim haec duo convenirent supra jam vidimus.

Quamquam sic fere quicquid Galenus Chrysippo exprobrat dissolvi facile posse vidimus, tamen in nonnullis rebus Chrysippum repugnantiarum simillima dixisse, immo sibi ipsum repugnasse neque sibi constantem semper fuisse a nobis est concedendum. Nam si locutiones probat χαρίζεσθαι τῷ θυμῷ, χαρίζεσθαι τῇ ἐπιθυμίᾳ Gal. V, p. 410 s., si rationem nominat ἐπιτιμητὴν ἄκαιρον p. 411, si versus laudat, qui diversas facultates animae inter se opponunt sicut Menandri: τὸν νοῦν ὑποχείριον εἰς τὸν πιθὸν δέδωκα, illos Euripideos:

Καὶ μανθάνω μὲν οἷα δρᾶν μέλλω κακά,
Θυμὸς δὲ κρείσσων τῶν ἐμῶν βουλευμάτων

p. 411. 418 et sexcentos alios, repugnantias in verbis non bene cavisse eum intellegemus, sibi ipsum autem contradixisse affirmabimus, si ab illo constitutam diffe-

rentiam inter πάθος et ἁμάρτημα respexerimus. Cum enim aliis locis dicat λογικῆς δυνάμεως esse affectus et κρίσεις, aliis e. g. Gal. V, p. 397 docet, qui secundum rationem moveatur, quaecumque ea sit (id est sive recta sive prava), eum esse continentem neque affectu moveri. Simili modo sibi repugnat loco, ubi eandem differentiam exponere vult Gal. V, p. 387: ὅσα μὲν γάρ τις ἔκρινε κακῶς οὐκ ἀπέστραπται τὸν λόγον, ἀλλ' ἔσφαλται κατ' αὐτόν et alio ib. p. 414: οὕτω γὰρ ἐξιστάμεθα καὶ ἔξω γινόμεθα ἑαυτῶν καὶ τελέως ἀποτυφλούμεθα ἐν τοῖς σφαλλομένοις, ubi τὰ σφαλλόμενα sunt affectuum motus, eumque non semper sibi constantem fuisse ex ejus affectus definitionibus universalibus vidimus, quas supra attulimus et ex generalium definitionibus, cum saepissime eos ita definiat, ut eos dicat esse δόξας vel κρίσεις boni vel mali, sed etiam sic definiisse feratur, ut λύπην μείωσιν ἐπὶ φευκτῷ δοκοῦντι ὑπάρχειν et ἡδονήν esse ἔπαρσιν ἐφ' αἱρετῷ δοκοῦντι ὑπάρχειν traderet magis ad Zenonem declinans.

At Galenus in dogm. Plat. et Hippocr. non solum ipse in Chrysippum, qui sibi repugnet, invehitur, sed etiam Posidonium Chrysippo multa exprobrantem et ex eo quaerentem inducit, quae crimina hic, ut doctrina Chrysippi ipsius rectius perspiciatur, paucis explicabimus. Posidonius maxime id obicit Chrysippo, quod causam illorum motuum excurrentium satis gravem afferre non possit, cum ipse causa affectuum explicata etiam cautionem illorum datam esse recte putet, illa infirmitate autem et visorum magnitudine omnes illos motus non satis expediri. Quod crimen Chrysippo immerito fieri mihi videtur, cum causa externa et interna allata non sit, cur causa affectuum adhuc desideretur.

Praeter hanc quaestionem generalem, quam saepius

ponit in libris περὶ παθῶν Gal. V, p. 378, rogat Chrysippum, cur ad illam δόξαν alicujus mali vel boni interdum πρόςφατον addiderit, neque ad bonum μέγα et ad malum ἀνυπομόνητον et ἀμέτρητον, aut si λύπην et ἡδονήν ita definiat, ut sit δόξα κακοῦ μεγάλου vel ἀγαθοῦ, id quod Chrysippus etiam fecit, cur sapientes, qui se in maximis malis esse sciant, affectibus non moveantur. Priori quaestioni respondet Chrysippus secundum Galenum V, p. 417 s. ita, ut dicat se πρόςφατον in definitione posuisse, quod omne malum subito irruens (ἀθρόως προςπίπτον) et peregrinum (ξένον) judicia magis mutet, usitatum vero et consuetum et inveteratum (ἀσκηθὲν καὶ συνεθισθὲν καὶ χρονίσαν) aut omnino non efficiat, ut homines affectibus moveantur, aut ut paululum iis ferantur. Propterea etiam dicit oportere προενδημεῖν ἐν τοῖς πράγμασι, hoc est res animo praesentes sibi fingere et non praesentibus quasi praesentibus uti, ne subito irruentia valde feriant*), atque ad hanc rem confirmandam laudavit illud, quod nuntiata morte filii Anaxagoras dixisse fertur, et nonnullos versus Euripideos, quos Galenus nobis servavit et quorum alteram partem etiam invenimus apud Cic. Tusc. qu. III, 14 cum illo Anaxagoreo, ut Ciceronem hoc ex Chrysippi libris sumsisse sit verisimile, nisi hi versus fere omnium philosophorum com-

*) In editionibus Galeni haec verba et Anaxagorea et Euripidea Posidonio vindicantur, cum legatur βούλεται δὲ τὸ προενδημεῖν τῷ Ποσειδωνίῳ p. 417 linea ultima. Sed rescribendum videtur Bakio p. 204, cui suffragatur Baguetius pro τῷ Ποσειδωνίῳ τῷ Χρυσίππῳ, cum l. l. linea 12 verbis καί φησι διότι κ.τ.λ. respondentem faciat Galenus Chrysippum Posidonio quaerenti, cur adjecerit τὸ πρόςφατον, et tum explicantem quomodo aegritudinis ortum impediri oporteat. Atque facere non possum, quin Bakio assentiar, quia omnis sententia magis in Chrysippum quam in Posidonium quadrat, neque verisimile est Posidonium sibi ipsum pro Chrysippo respondisse.

munes ad leniendam tristitiam fuerint. Alteri quaestioni Chrysippus potuit respondere in sapientibus, qui non efferantur, et in proficientibus, qui non doleant, opinionem non inesse, qua ad officium pertinere efferri vel contrahi putent.

Porro Posidonius ex Chrysippo quaerit, cur homines aegritudine affecti, quamquam imbecillitas maneat, tamen alios consulant, itaque rationem adhibere velint ejusque rei exemplo Agamemnone utitur, qui tristitia perculsus tamen ipse deliberatum ad Nestorem veniat, quam deliberationem ostendere ab Agamemnone, quamquam adhuc imbecillitas insit in eo et visum idem remanserit, rationem expeti Gal. V, p. 400 ss., cf. Bakium in Posid. doctr. reliqu. p. 207 ss. Sed illa aspernatio rationis, quam in definitionibus affectuum Chrysippus posuit, spectare non videtur ad totam rationem sed tantum ad eam, quatenus homo putet se sic affici debere, ita ut Agamemno credere possit se sic affici debere et tamen Nestorem consulere, cf. fragmenta ipsius Posidonii Gal. V, p. 398. 401 s. Itaque hoc crimen omnino nil valet. Postea Posidonius Chrysippum interrogat, quomodo fiat, ut homines eadem infirmitate animae, quibus eadem visa incidant, tamen diverso modo moveantur, ut hic magis obnoxius sit affectibus, ille minus Gal. V, p. 399 et idem homo in iisdem rebus mox affectibus moveatur, mox non moveatur. Quam interrogationem Salmasius jam bene refutavit p. 110 s. dicens illum, qui succubuerit, semper imbecilliorem esse, nam judicari non posse de animi robore nisi ex eventu.

Chrysippus affectus praecipue aegritudinem vetustate leniri contendit, id quod etiam Cicero dicit Tusc. qu. III, 30, simul autem diuturnitate ipsa hoc fieri negat, sed

magis diuturna cogitatione nihil esse in re mali. Contrarea Chrysippus contendit, etiamsi opinio eadem maneat, tamen si inveterata sit, contractionem animi remitti, immo, etiamsi impetus ad contractionem perduret, tamen affectus ipsos non jam permanere propter aliam quandam dispositionem intellectu difficilem (οὐχ ὑπακούσεται τὰ ἑξῆς διὰ ποιὰν ἄλλην διάθεσιν δυσλόγιστον τούτων γινομένων) Gal. V, p. 419. Propterea a Posidonio recte objurgatur p. 424, cum fieri non possit, ut impetus etiamnunc adsit, alia autem quadam causa actio secundum eum impediatur. Chrysippus ad id, quod contendit, demonstrandum dicit sic homines invitos lacrimari desinere et invitos etiam lacrimari, cujus rei Posidonius putat causas esse aut motus affectuum vehementer inhaerentes, ut voluntate non evincantur, aut cessantes, ut homines ab iis non jam possint moveri p. 425, jure Chrysippo obiciens, quod causam afferre non possit, sed διάθεσιν δυσλόγιστον ponat. Uterque autem et Posidonius et Chrysippus vituperandus est, quod has affectiones corporis in affectibus numeravit et de iis eodem modo esse disputandum ac de affectibus animae censuit. Multo rectius hac de re posteriores Stoici judicaverunt.

Praeterea Chrysippus etiam in collatione affectionum animae cum corporis a Posidonio vituperatur. Chrysippus enim huic comparationi maximam operam navavit Cic. Tusc. qu. IV, 10 et docuit animam hominis pravi affectibus nondum moti similem esse corpori, quod ad incidendum in febres aut alvi profluvium aptum sit levi ac fortuita occasione, quam similitudinem Posidonius reprehendit, cum non tali corpori anima pravorum similis sit, sed simpliciter sano, quod habeat τὸ εὐέμπτωτον εἰς νόσον, utrum enim ob magnam causam an ob par-

vam aegrotet nil interesse. Neque bene conferri a Chrysippo censet sanitatem animae cum corporis sanitate, cum anima sapientis non sit obnoxia affectibus, corpus autem nunquam his vacet. Differentiam inter ambos his in collationibus non magni esse momenti unusquisque videbit. Ab utroque dissentit Galenus, immo Posidonium vituperat, quod non longius a Chrysippo discesserit, sed illi cavisse Posidonius videtur, ne in omnibus rebus a Chrysippo dissideret Gal. V, p. 432 ss. Chrysippus hanc comparationem animae cum corpore subtiliter excoluit, cum non solum morbos cum morbis, sanitatem cum sanitate, sed etiam robur cum robore, imbecillitatem cum imbecillitate, pulchritudinem cum pulchritudine, omnino omnia, quae simili nomine dicuntur, cum omnibus compararet, quas similitudines hic exponere, quales nobis tradit Galenus et vituperat, abest a nostro consilio. Id tantum addiderimus ne in hac collatione quidem Chrysippum sibi semper constare. Cum enim in primo libro περὶ παθῶν morbum animae cum sanitate corporis ad corruptionem apta comparaverit, in ethico libro animae morbum prorsus cum corporis morbo confert.

Utut sunt, hoc tamen apparet ex omnibus Chrysippeis fragmentis acute eum in hac doctrina de affectibus versatum esse, naturam affectuum bene observasse multaque recte de iis dixisse. Doctrinam suam autem cum experientia et sententiis hominum convenientem reddere summo opere studuit ideoque in repugnantias non rarissime incidit et secum pugnavit vel quaestiones ex vitae usu propositas non solvit aut falso. Talis praeter illas, quas jam memoravi, ea est, quae ad liberos pertinet. Cum enim vitae usu videat affectus aut inclina-

tionem ad voluptatem aut fugam laboris inesse jam in pueris, sed natura hos impetus inesse negare debeat, quod natura nos ex ejus doctrina ad honestum solum inclinamus, cogitur confiteri extrinsecus pravitatem in homines inferri nempe imaginationum probalititate et institutione Diog. VII, 89: διαστρέφεσθαι δὲ τὸ λογικὸν ζῷον ποτὲ μὲν διὰ τὰς τῶν ἔξωθεν πραγματειῶν (malim πραγμάτων) πιθανότητας· ποτὲ δὲ διὰ τὴν κατήχησιν τῶν συνόντων, ἐπεὶ ἡ φύσις ἀφορμὰς δίδωσιν ἀδιαστρόφους. Tamen etiam paene concedere Chrysippum dicit Galenus etiamsi non verbis tamen verborum vi inesse in nobis natura inclinationem quandam ad voluptatem et declinationem doloris vel tristitiae. Nam usu ei persuaderi pueros, etiamsi optime educentur neque ullum viderint nec audierint pravitatis exemplum, tamen peccare Gal. V, p. 459 ss. Itaque ne pravitatis quidem in pueris ex sua doctrina satis graves potuit afferre causas, quocirca etiam a Posidonio castigatur.

Haec fere sunt, quae de Chrysippo ex Galeno possumus cognoscere praeter ea, quae jam in communi Stoicorum doctrina explicavimus. Cicero, qui multis in rebus Chrysippum secutus esse videtur eumque saepius laudat, refert etiam illum a Carneade esse reprehensum, quod quosdam versus Euripideos ex Hypsipyla, quos Cicero in sermonem Latinum vertit, citasset communem conditionem hominum miseram proponentes ad tristitiam minuendam. Hoc enim orationis genus dixit Carneades omnino ad levandam aegritudinem nil valere, cum id ipsum esset dolendum, quod in talem necessitatem incidissemus Cic. Tusc. qu. III, 25. — Quid Chrysippus de voluptate docuerit, num naturalis esset et in principiis naturalibus inesset, nescimus, tamen eum non aeque

rigide ac Cleanthem de ea censuisse. verisimile est, cum Chrysippus in multis philosophiae partibus a rigore priorum aliquantulum jam discederet. Bonum voluptatem esse eum negasse cognoscimus ex Diog. VII, 103 et ex ipsius Chrysippi libro, cujus inscriptionem Diogenes nobis servavit VII, 202: ἀπόδειξις πρὸς τὸ μὴ εἶναι ἡδονὴν ἀγαθόν et ex aliis. Sed haec hactenus de Chrysippo! Omnia enim ejus librorum de affectibus fragmenta apponere et illustrare a nostro consilio abhorret, cum ex nullo alio ejus libro aeque copiosa atque ex his nobis sint servata.

Ex aequalibus Chrysippi Stoicis libros περὶ παθῶν scripserunt Aristo Chius, quem tradit Galenus non sibi repugnasse hac in doctrina sicut Chrysippum V, p. 468, Sphaerus Diog. VII, 178, Herillus Diog. VII, 166.

Doctrinam Chrysippi successorum Zenonis Tarsensis et Diogenis Babylonii de affectibus nescimus, tamen eos a rigore doctrinae veteris jam longius quam Chrysippum discessisse est verisimile, cum ex Cicerone de finn. III, 15 Diogenem voluptatem in bonis posuisse cognoscamus. Illud autem, quod Epiphanius de sectis lib. III narrat: Διογένης ὁ Βαβυλώνιος ἔλεγε τὰ σύμπαντα συνίστασθαι ἐξ ἡδονῆς, non est dignum quod refutetur. Cf. Thiery de Diog. Bab. p. 76.

Magis etiam a doctrina veterum Panaetius declinavit, qui jam periculum fecit doctrinam Stoicam cum Platonis vel Aristotelis miscendi et severitatem Stoicam temperavit, ut doctrinam ad usum vitae jucundiorem et aptiorem redderet, cf. Cic. de finn. IV, 28, id quod etiam apparet ex paucis, quae nobis referuntur de illius doctrina de affectibus, cf. van Lynden disput. de Panaetio Rhodio p. 76 s. Taurus apud Gellium XII, 5

dicit a Panaetio ἀναλγησίαν et ἀπάθειαν fuisse improbatam, ita ut illum μετριοπάθειαν Peripateticorum accepisse conicere possimus. Tum Panaetius etiam de voluptate dissensit ab aliis Stoicis Sext. adv. math. XI, p. 705, docuit enim quandam voluptatem esse secundum naturam, quandam contra naturam. Illud Anaxagoreum quoque Ἤιδειν ὅτι θνητὸν ἐγέννησα, ne aegritudine homines cruciarentur, a Panaetio laudatum esse Plutarchus nobis tradit de cohib. ira XVI. — Hecatonem Panaetii discipulum scripsisse de affectibus eosque partitum esse in illos quatuor generales memorat Diogenes VII, 110.

Posidonium clarissimum ex Panaetii discipulis plures libros de affectibus composuisse videmus ex Galeno V, p. 378, cf. p. 366, qui a Galeno summis laudibus efferuntur et ipse Posidonius ab eo ἐπιστημονικώτατος Stoicorum nominatur, quod mathematica doctus fuerit et multo magis quam ceteri ratiocinationibus et demonstrationibus consueverit uti. Libros ejus de affectibus magnam partem criminibus in Chrysippum repletos fuisse antea jam intelleximus. Satis multa fragmenta ex his libris a Galeno nobis servata sunt, quae collegit et partim illustravit Bakius in Posidonii Rhodii reliquiis doctrinae p. 194—230. Quanti momenti Posidonio fuerit doctrina de affectibus plures ejus loci demonstrant. Inprimis ex natura affectuum recte perspecta pendere putavit doctrinam de bonis et malis et de finibus et de virtutibus Gal. V, p. 469, cf. p. 473, itaque maximam operam ab eo huic doctrinae datam esse conicere possumus. A primis Stoicis autem similis Panaetio praeceptori prorsus discessit et cum in omnibus aliis disciplinis doctrinam suam magis congruentem cum Platone et Aristotele reddere studuit, tum in affectibus doctrinam Platonis

fere totam est amplexus, propterea quod haud scio an secundum Stoicorum sententiam causam affectuum non satis esse explicatam senserit, neque in hac doctrina fere jam Stoicus nominandus est. Igitur etiam in libro primo de affectibus epitomen ex Platonis libro quarto de republica fecit Platonem maxime laudans et admiratus.

Primum illud Stoicorum unam animam esse humanam rationem rejecit et cum Platone duas partes, ut ita dicam, animae rationis participem et rationis expertem statuit, quam posteriorem denuo dividit in facultatem irascendi et concupiscendi, cujus divisionis auctorem esse dixit Pythagoram Gal. V, p. 425, cf. 478; Cic. Tusc. qu. IV, 5. Has tres autem diversas partes esse negavit, sed tantum diversas facultates statuit, qua in re dicitur a Galeno magis esse secutus Aristotelem, cum ambo consentiant ἑτέροις ἀλλήλων λογίζεσθαι καὶ θυμοῦσθαι καὶ ἐπιθυμεῖν ἡμᾶς, οὐ μὴν εἴδεσί γε ἢ μορίοις ψυχῆς ἀλλὰ δυνάμεσιν p. 493. Cum Plato tres suas partes in diversis locis corporis posuisset, rationem in cerebro, partem irascendi in corde, partem concupiscendi in hepate vel circa umbilicum, tres facultates Posidonius in corde sitas esse docuit easque esse unius substantiae μιᾶς οὐσίας Gal. V, p. 515. In his duabus facultatibus igitur rationis expertibus affectus oriri dixit itaque unicuique homini natura insitam esse cupiditatem voluptatis ex facultate concupiscendi et roboris victoriaeque ex facultate irascendi p. 424, atque sic causam affectuum, quippe qui natura oriantur neque prorsus evitari possint, satis expeditam esse censuit. Affectibus igitur animalia quoque moveri docet, ea quidem, quae aegre se circumferant, vel rupibus adnata sint, sola cupiditate, cetera autem et cupidi-

tate et ira p. 476. Huic Posidonii doctrinae non congruunt quae a Plutarcho nobis referuntur in fragmento: Utrum animae an corporis aegritudo et libido sit cap. VI, ubi dicitur Posidonius divisisse πάθη in ψυχικά et σωματικά et τὰ μὲν οὐ ψυχῆς περὶ ψυχὴν δὲ σωματικά et τὰ δὲ οὐ σώματος περὶ σῶμα δὲ ψυχικά et ψυχικά ἁπλῶς nominasse τὰ ἐν κρίσεσι καὶ ὑπολήψεσι οἷον ἐπιθυμίας, φόβους, ὀργάς, omnino quae Stoici πάθη nominant, id quod fere est ex doctrina Chrysippi, itaque quin Plutarchus hoc loco falsa tradiderit, dubitare non possumus. Tamen etiam Posidonius nonnunquam impetum oriri hominibus judicio rationis docet, sed causas falsarum opinionum etiam in animo effici per inclinationem partis ratione carentis, ita ut ultima causa semper in illa inveniatur Gal. V, p. 463.

Cum priores Stoici affectus et morbos animae solum comparavissent cum corporis affectibus et morbis, Posidonius vehementiam vel ignaviam affectuum ex corpore pendere docuit, e. g. animalia omnia, quorum corpora lato pectore et calidiora essent, magis ad iram apta, quorum latis coxis et frigidiora, timidiora esse, cum motus affectuum semper corporis sequerentur dispositionem: ὡς καὶ τοῦ σώματος κράσεις οἰκείας ἑαυταῖς ἐργάζονται τὰς παθητικὰς κινήσεις Gal. V, p. 464, unde physiognomica quae vocantur ducta sunt et doctrina de temperamentis animarum, cf. Sen. de ira II, 19.

Causam affectuum idcirco Posidonius inprimis accurate explorare studuit, quod hac recte perspecta etiam quid sit finis hominum τὸ ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῆν, intellegi posset. Eum enim, qui affectibus moveretur, naturae convenienter non vivere, quia non sequeretur genium innatum, qui eandem naturam haberet atque

spiritus totum mundum regens, non sequeretur divinam et rationalem, ut ita dicam, partem animae, sed pejore et infelici et rationis et dei experti regeretur Gal. V, p. 469, cf. 472. Itaque uniuscujusque hominis est, qui a primis naturae ad intellegentiam superiorem ascendit, affectibus morem non gerere sed semper illum genium innatum consulere et ab eo regi, quare etiam Posidonium ἀπάθειαν Stoicorum probasse mihi persuasum est.

Etiam initia perversitatis in rebus appetendis fugiendisque causa affectuum inventa detegi Posidonius dicit Gal. V, p. 472. Quosdam enim quae rationis expertes animae partes expetant simpliciter expetenda esse censere nescientes voluptatem et victoriam appetere esse animalis partis animae, sapientiam autem et quicquid sit pulchrum et bonum rationalis et divinae partis. — Postea quomodo educatio et exercitatio sit instituenda, cognita causa affectuum intellegi Gal. l. l., alios enim in aliis rhythmis studiisque esse exercendos et omnino ita pueros educandos esse et instituendos, ut pars rationis expers animae moveatur tantum placide et rationi prorsus sit morigera, cf. p. 466, hisque in rebus Platone auctore est nixus Posidonius.

Tum ut quaestiones et dubitationes, quas Chrysippus solvere non potuit, ex sua doctrina juste expediat, summam operam dat. Cum enim Chrysippus explicare non potuerit, quomodo fieret, ut tempore solo affectus temperarentur, Posidonius contra sic exponit, ut partem animae rationis expertem dicat solo temporis decursu impetibus partim repleri, partim diuturnis motibus laborare, ita ut jam quiescere cupiat et mediocriter moveatur, et ratio jam possit eam regere, ad quam rem declarandam Platonem secutus exemplum affert ab equo

ductum effrenato, qui primo insessorem vehementius efferat et circumferat, postea autem, cum jam fatigatus sit iisque rebus, quas concupierit, impletus, sensim possit ab equite regi Gal. V, p. 475, cf. p. 426. Tum Posidonius ex Chrysippo quaesierat, cur proficientes et sapientes in affectibus non essent, quam quaestionem ipse solvit Gal. V, p. 474, quod fragmentum a Bakio omissum est: καὶ μὴν οἱ προκόπτοντες μεγάλα κακὰ δοκοῦντες ἑαυτοῖς οὐ λυποῦνται· φέρονται γὰρ οὐ κατὰ τὸ ἄλογον τῆς ψυχῆς οὕτως ἀλλὰ κατὰ τὸ λογικόν. — Sic Posidonium in difficultatibus ad suam animae divisionem semper refugisse videmus. Quid de voluptate censuerit ex ejus fragmentis nobis servatis clare non elucet; tamen videtur eam non contra naturam neque τέλος esse existimasse, sed necessarium esse, ut finem consequeretur, fere Aristotelis doctrinam amplexus Gal. V, p. 470. — Haec habui, quae de Posidonio dissererem, qui quantum a priorum Stoicorum doctrina recesserit intellegimus.

Reliquum est, ut nunc de recentioribus Stoicis disseram de Seneca, Epicteto, Marco Aurelio philosopho, qui magis quam Posidonius doctrinae veteri Zenonis et Chrysippi favent. Omnes enim tres opinione et judicio affectus suscipi docent, cum Seneca in primo libro de ira cc. 2—4 affectus non sine voluntate fieri exponat, Epictetus animam non rebus externis moveri, sed δόξας vel δόγματα vel ὑπολήψεις de illis rebus esse, quae animam perturbent, saepissime inculcet, ταράσσει τοὺς ἀνθρώπους οὐ τὰ πράγματα, ἀλλὰ τὰ περὶ τῶν πραγμάτων δόγματα man. 5; τὸ συμβεβηκὸς οὐ θλίβει· ἄλλον γὰρ οὐ θλίβει, ἀλλὰ τὸ δόγμα τὸ περὶ αὐτοῦ man. 16, et Marc. Aurelius eadem fere iisdem verbis proferat V, 19; XI, 16

et saepius. Immo ipsum verbum πάσχειν apud Epictetum modum significat, quo intellectus noster affectus est et fere idem valet ac sentire, opinari, sibi persuasum habere, cf. Schweigh. in indice Graecit. Itaque etiam in ratione affectus oriri docere debent, cf. Senecae locum, quem supra laudavi, neque plures animae humanae partes statuere possunt. Chrysippi quidem definitiones affectuum, quibus dixit judicia esse eos vel opiniones, non profitentur, sed illam συγκατάθεσιν assensionem primo loco ponunt, sine qua affectus oriri non possint, cf. fragmentum Epicteti et locum Senecae, quae supra attuli, quibus quomodo affectus oriantur satis explicatur. Igitur ne animalibus quidem affectus tribuunt Sen. de ira I, 3, 4 ss.; Marc. Aur. IX, 9, qui dicit habere animantia ὡς ἔρωτας. Miro igitur modo Epictetus πάθους γένεσιν dicit esse θέλειν τι καὶ μὴ γενέσθαι diss. I, 27, 11 et πάθος ἄλλως οὐ γίνεσθαι εἰ μὴ ὀρέξεως ἀποτυγχανούσης ἢ ἐκκλίσεως περιπιπτούσης ibid. III, 2, quibus verbis solam externam causam cur aegritudo oriatur describi apparet. Neque Epictetum solam aegritudinem nomine affectus intellexisse ex multis locis cognoscimus, ubi cum aegritudine metum, invidentiam, iram aliaque conjungit diss. II, 22; II, 16.

His omnibus autem affectibus sapientem et vacare posse et debere docent, cum nil magis hominis sit proprium quam χρῆσις φαντασιῶν, unde pendeat omnis animi perturbatio, et praecipue apud Epictetum nil sit tritius quam omnes res externas omnino hominis non esse nec illarum rationem habendam neque appetendas neque valde refugiendas esse eas, sed solum usum visorum et προαίρεσιν et τὰ προαιρετικά, quae in nostra voluntate prorsus sint posita (diss. II, 22, 20 ἐκεῖ εἰμὶ ἐγὼ

ὅπου ἡ προαίρεσις), bona hominis esse. Sin autem homo res externas expetat vel refugiat, necessarium esse, ut affectus existant, Marc. Aur. VI, 32 μηδενὸς ὀρέγου τῶν ἀλλοτρίων ἔτι, μήτε ἔκκλινε τῶν μὴ ἐπί σοι· εἰ δὲ μὴ καὶ ἀποτυχεῖν καὶ περιπεσεῖν ἀνάγκη, cf. Epict. dissert. IV, 1. Quapropter maximi momenti est visis externarum rerum accedentibus resistere neque nos iis tradere, πρόσεχε μὴ φαντασία σε συναρπάσῃ Epict. man. 16, diss. II, 18, 24. 28; μὴ ὁλοσχερῶς τῇ φαντασίᾳ συναρπάζεσθαι Marc. Aur. V, 36.

Seneca multis locis de ira I, 7 ss.; ep. 85; 116 contra Peripateticos, qui mediocres affectus inprimis mediocrem iram probent eamque fortitudinis cotem esse contendant, (cf. Cic. Tusc. qu. IV, 17 ss.) pugnat, ita ut sapientem omnes affectus a se removere debere dicat, quamquam se ingentem imaginem vel vanum decus sapientis fingere negat, existere enim talem quemquam sed raro forsitan magnisque aetatum intervallis unum de const. sap. VII, 1, atque in pugna contra Peripateticos argumento sophistico maxime nititur ab eo petito, quod non videat, quomodo salubris esse aut utilis possit ulla mediocritas morbi aut mali, esse autem affectum et morbum et malum, cf. Cic. Tusc. qu. l. l. Idem et Epictetus et Marcus Aurelius nefas esse contendunt vel aliquid, quod natura nobis accidat, evitare vel de eo dolere, vel aliquid, quod natura nobis non accidat, cupere, cum sic cupiamus, ut aliquid aliter se habeat, ac deus id effecerit, et sic contra naturam ejusque rectorem agamus Marc. Aur. IX, 1 φοβεῖσθαι πόνους καὶ διώκειν ἡδονὰς ἀσεβές, X, 25 κύριος ὁ νόμος καὶ ὁ παρανομῶν δραπέτης, ἅμα καὶ ὁ λυπούμενος ἢ ὀργιζόμενος ἢ φοβούμενος οὐ βούλεταί τι γεγονέναι ἢ γίνεσθαι τῶν ὑπὸ τοῦ τὰ πάντα διοικοῦντος τεταγμένων, ὅ ἐστι νόμος — ὁ ἄρα φοβούμενος ἢ λυπούμενος ἢ ὀργιζόμενος δραπέτης,

cf. Epict. man. 31; Sen. de vita beat. XV; ep. 107. Quamquam sic demonstrare conantur omnes affectus esse impios et contra naturam, tamen et Seneca et Epictetus affectus nonnullos fluere ex naturali quodam principio censent. Seneca enim ep. 116 in initiis naturae i. e. in necessariis rebus dicit naturam admiscuisse voluptatem, non ut illam peteremus, sed ut ea ad vitam necessaria gratiora nobis illius faceret accessio, id quod a plurimis prioribus Stoicis vidimus esse rejectum, et Epictetus ex primo illo impetu, quo animal sibi ipsum concilietur, oriri certe quosdam affectus dicit, nulli rei enim animal natura aeque studere ac suae utilitati, quicquid igitur hanc impediat, etiamsi sit frater aut pater, tamen odisse diss. II, 22, 15: καθόλου γὰρ πᾶν οὐδενὶ οὕτως ᾠκείωται ὡς τῷ ἰδίῳ συμφέροντι, ὅ,τι ἂν οὖν πρὸς τοῦτο φαίνηται αὐτῷ ἐμποδίζειν, ἄν τ' ἄδελφος ᾖ τοῦτο ἄν τε πατὴρ — μισεῖ, καταρᾶται, cf. ibid. I, 21, 11, man. 31*). Sic uterque sibi repugnare videtur ipse. Sed etiamsi affectus ducantur

*) Jam a prioribus Stoicis simile quid esse doctum cognoscimus ex Cic. de finn. III, 5, ubi dicit ex doctrina Stoicorum „simulatque natum sit animal sibi conciliari — ad se conservandum et ad suum statum eaque, quae conservantia sint ejus status, diligenda, alienari autem ab interitu iisque rebus, quae interitum videantur inferre“. Sic amor et odium a se diligendo ducta sunt. Sed num omnes affectus Stoici ab hoc primo impetu se conservandi duxerint dubito, cum hoc in epitomis, quae nobis librorum de affectibus a Stoicis scriptorum sunt servatae, non nemoretur, id quod mirum esset, si haec doctrina apud Stoicos valuisset. Neque ea congruit cum illo, quod affectus solo judicio oriantur et opinione, itaque neque in pueris neque in animalibus inesse possint. Si enim affectus primum impetum naturalem continuo sequuntur, haud opus est illa assensione, ut oriantur, et in pueris quoque et animalibus inesse possunt, immo in his plures et validiores erunt. Quare in quantas repugnantias et difficultates Stoici, si hanc doctrinam confessi sunt, inciderint elucet. Neque illi, qui odium et amorem sic oriri dixerunt, repugnantiae crimen effugient.

ab impetu naturali, tamen hominis est, simulatque intellegentiam accepit, quis sit hominum finis, cognoscere eumque appetere neque suo commodo soli vivere neque his affectibus se tradere, et sic secundum suam naturam vivit i. e. secundum rationem, quae totum mundum et unumquemque hominem penetrat. Itaque affectus et naturales quodammodo et tamen contra naturam esse possunt.

Si in universum quaerimus, hi posteriores Stoici partiendis et definiendis affectibus multo minorem operam dederunt, sicut jam diximus, quam cavendis et curandis, ita ut in eorum scriptis definitiones et divisiones haud inveniamus sed multa remedia et cautiones, quorum praecipua hic memorare sufficiat, cum omnia huc afferre longum sit, cf. de iis Tiedemannum III, 217 ss. et de Marco Aurelio seorsim Buddei introductionem ad philosophiam Stoicam p. 68 ss. in edit. Marci Aurelii Lipsiae apud Waltherum 1729. Praesertim praescribunt, ut omnia praemeditemur, ne in necopinata incidamus iisque moveamur. Itaque non solum quicquid externas actiones nostras impedire, quicquid adversi in vita humana accidere possit cogitandum est Epict. ench. 4, sed „sapiens etiam ad bonas revera actiones semper adit cum exceptione: si nihil inciderit, quod impediat“ Sen. de benef. IV, 34, 4; „subest tacita exceptio: si potero, si debebo, si haec ita erunt“ ibid. 39, 4, unde fieri dicit Seneca, ut sapienti nil contra opinionem accidere possit, quia semper praesumat animo posse aliquid intervenire, quod destinata prohibeat. Hanc exceptionem Epictetus et Marc. Aurelius ὑπεξαίρεσιν nominant Epict. man. 2, 2; Marc. Aur. IV, 1; V, 20; VI, 50, quam Simplicius in l. l. Epicteti ut recte intellexerit vereor,

qui μεθ' ὑπεξαιρέσεως interpretatur κατὰ τοῦ ἐνδιδόναι τε ὀλίγον καὶ μὴ εἰς ἄκρον ἀποτείνειν τὴν ὁρμήν τε καὶ ὄρεξιν, cui interpretationi clare repugnat Marc. Aur. V, 20, ubi conjungitur ὑπεξαίρεσις cum περιτροπῇ et pergitur περιτρέπει γὰρ καὶ μεθίστησι πᾶν τὸ τῆς ἐνεργείας κώλυμα ἡ διάνοια εἰς τὸ προηγούμενον. Sic illud προενδημεῖν Chrysippi valde a posterioribus excolebatur, ut ab omnibus affectibus sapientes possent esse liberi.

Tum si jam adsint affectus, docent illas res, de quibus judicia animam moveant, accurate esse perspiciendas, ut quanti sint intellegatur Epict. man. 3; Marc. Aur. VI, 13. Praeterea illud nobis motus animi praecipue aegritudinem et metum demere, si nunquam non meminerimus nos esse partem totius mundi, itaque nobis nil posse contingere, quod toti non sit utile atque bonum Marc. Aur. XI, 18. Miro modo Marcus Aurelius ad metum declinandum suadet, ut adsuescamus futnrarum rerum non habere rationem, id quod illi praemeditationi repugnat, quam quidem ad cavendam aegritudinem dicunt esse adhibendam. — Haec et alia Epictetus et Marcus Aurelius praecipiunt atque in praecipiendo vitam communem multo magis respiciunt quam priores Stoici, ita ut quomodo agendum sit et cogitandum in singulis rebus doceant neque sapientem suum ex omni vita humana excipiant, id quod priores Stoicos apparet fecisse, cum item Seneca magis in ornando suo sapiente sit occupatus conditionem humanam fere nil respiciens.

At haec de doctrina Stoicorum ipsorum! Videamns nunc brevi, num Stoici hanc suam doctrinam a prioribus philosophis acceperint, an ipsi maximam partem et invenerint et excoluerint. A Platone eam Stoicos non accepisse non est, cur etiamnunc demonstretur, sed

Salmasius p. 142 ss. censet Stoicos in doctrina de affectibus non ita procul ab Aristotele recessisse, cui assentiri equidem non possum. Nam quod summum est in doctrina Stoicorum, omnes affectus opinione suscipi itaque arbitrio etiam deponi posse, in Aristotele omnino non invenimus, neque Aristoteles opinionem causam affectuum esse statuit. Quod enim definit Aristoteles rhet. II, 5 metum ita, ut dicat eum oriri ἐκ φαντασίας κακοῦ et alios affectus similiter oriri διὰ φαινόμενον κακόν et ἀγαθόν, vel immo αἰσχύνην nominat φαντασίαν περὶ ἀδοξίας rhet. II, 6, haudquaquam ex sententia Stoicorum est, cum φαντασία Aristotelis non sit eadem ac δόξα Stoicorum, id quod Salmasius censet. In δόξῃ Stoicorum συγκατάθεσις jam inest, ita ut δόξα semper habeat πίστιν, φαντασίαν autem Aristotelis non sequitur πίστις, cum phantasia etiam multorum animalium sit, fides autem nullius de an. III, 3, quapropter affectus in bestias ipsas cadunt, cf. de an. II, 2. — Itaque phantasia Aristotelis multo magis respondebit Stoicorum phantasiae, quam opinioni. Videatur de hac re jam Riccobonus in rhet. II, 1. Neque illa nota affectuum, quae ab Aristotele affertur rhet. II, 1: ἔστι δὲ τὰ πάθη, δι' ὅσα μεταβάλλοντες διαφέρουσιν πρὸς τὰς κρίσεις, doctrinae Stoicorum favet; haec enim mutatio judiciorum apud Aristotelem affectibus multo magis efficitur, quam eos efficit, cf. rhet. II, 1: οὐ ταὐτὰ φαίνεται φιλοῦσι καὶ μισοῦσι, οὐδ' ὀργιζομένοις καὶ πράως ἔχουσιν, cum secundum animae affectibus ortam conditionem de rebus externis, quae affectus effecerint, judicetur, cf. Maas, Versuch über die Leidenschaften I, p. 137 ss.

Stobaeus ecl. eth. p. 36 dicit Aristotelem πάθος de-

finiisse ἄλογον ψυχῆς κίνησιν πλεοναστικήν*) et ἄλογον ita exponit, ut sit τὸ μὴ ἔχον τὸν ἀρχικὸν λόγον sed τὸν ὑποτακτικόν, καθ' ὃν ὑπακούειν πέφυκε τῷ λογικῷ, et πλεοναστικόν sit τὸ πεφυκὸς ἐπιδέχεσθαι πλεονασμόν non τὸ ἤδη πλεονάζον, modo enim πάθος excedere, modo rectum modum non adaequare, et alteram fuisse ejus definitionem, qua πάθος esset κίνησις τοῦ ἀλόγου μέρους τῆς ψυχῆς πλεοναστικὴ κατὰ φαντασίαν ἡδέος ἢ λυπηροῦ, quas definitiones, quamquam in Aristotelis libris nobis servatis non inveniuntur et fortasse Peripateticorum sunt, tamen ex Aristotelis sententia esse mihi persuasi. Motus enim est πάθος secundum eum, κατὰ μὲν τὰ πάθη κινεῖσθαι λεγόμεθα eth. Nicom. II, 4, cf. paraphrasin Riccoboni in rhet. I, 11. Deinde rationis esse expertem affectum, ne eum in parte rationis experti animae oriri dicamus, cum ex eo, quod Aristoteles inprimis juventuti immo bestiis affectus tribuit, et ex multis aliis rebus, tum ex eo, quod πάθος v. c. cupiditatem dicit rationi adversari, cognoscimus eth. Nic. VII, 5; cf. de an. III, 10. Quin, si eam animae partitionem in rationis expertem partem et rationem, quam Aristoteles in usum suum convertit, ut virtutum naturam ad eam redigeret, respicimus, affectus ab Aristotele in parte rationis ex-

*) Galenus V, p. 432 τὸ πάθος τῆς ψυχῆς inquit κίνησίν τινα παρὰ φύσιν ἄλογον ὑπάρχειν οὐχ οἱ παλαιοὶ μόνον ἀλλὰ καὶ Χρύσιππος ὁμολογεῖ. Οἱ παλαιοί Galeno fere sunt Pythagoras, Plato, Aristoteles, Hippocrates, qui num illud παρὰ φύσιν in hac definitione jam addiderint dubito, cum contrarea hi motus sint κατὰ φύσιν ex eorum doctrina. Hoc παρὰ φύσιν a Stoicis primis videtur in definitione positum esse. Apparet tamen ex hoc Galeni loco talem vel similem definitionem jam ante Stoicos apud philosophos usitatam fuisse atque singulorum affectuum quoque extitisse ante Stoicos definitiones, quas reciperent, videmus ex Aristotele eth. Nic. III, 9, ubi definiri metum dicit προςδοκίαν κακοῦ.

perti poni poterimus affirmare. Quod tum πάθος πλεοναστικόν nominatur propterea, quod fieri possit, ut modum rectum excedat, cum non semper sit nimium, etiam prorsus ex Aristotelis sententia esse intellegimus, qua in re posuerit ethicas virtutes spectantes. Affectus enim sicut ira in homine esse debent, sed rationis est eos temperare, ne extra modum exeant. Multo aliter πλεοναστικόν in Stoicorum definitione esse descriptum vidimus. Ultimam notam in posteriore Stobaei definitione etiam esse Aristoteleam ex ejus affectuum singulorum definitionibus rhet. II cognoscimus.

Quibus expositis non est, cur differentiam Aristotelis et Stoicorum explicemus, quae luce clarior sit, itaque, quamvis in aliis philosophiae partibus Stoici ab Aristotele multa acceperint, tamen in hac doctrina non tam novorum verborum quam rerum inventores eos fuisse a nobis est concedendum, cum, quamquam verba definitionum amborum sunt similia inter se, tamen explicationes harum definitionum sint diversissimae. Atque hoc aliter fieri non potuit, quod affectus Aristoteles et Peripatetici eum secuti non eradicandos sed tantum temperandos esse censuerunt itaque eos neque contra naturam neque prorsus a ratione aversos esse, Stoici autem eos, quod contra naturam et contra rationem esse existimabant, exstirpandos esse docuerunt. Neque nil inter Stoicorum et Peripateticorum aliorumque philosophorum opinionem distare, id quod Augustinus de civ. Dei IX, 4 multique alii putant, persuadere mihi possum.

Sicut autem Stoici jam in describenda anima propius ad Aristotelem quam ad Platonem accedebant, sic etiam singulas res hujus doctrinae ab illo certissime acceperunt. Quod enim χαράν, quam in sapientem solum

cadere dicunt, ἐπιγέννημα τῆς ἀρετῆς esse censent et quod nonnulli etiam ἡδονήν esse putant ἐπιγέννημα, cum natura suae constitutioni apta acquisierit, hoc sine dubio ab Aristotele receperunt, qui ἡδονήν esse ἐπιγιγνόμενον τέλος τῆς ἐνεργείας docuit eth. Nic. X, 4. Tum in iis, quae sint cavenda, congruunt fere cum Aristotele Stoici. Aristoteles enim nil esse timendum dicit, quod non sit ἀπὸ κακίας μηδὲ δι' αὑτόν eth. Nicom. III, 9. Simili modo Stoicis Aristoteles jam cupiditati voluntatem opponit: ἔν τε τῷ λογιστικῷ γὰρ ἡ βούλησις γίνεται καὶ ἐν τῷ ἀλόγῳ ἡ ἐπιθυμία de an. III, 9, ut Stoici quos rectos esse affectus docuerunt fere ab Aristotele sumsisse videantur.

Praeterea partitionem affectuum in quatuor genera nescio an Stoici ab Aristotele acceperint, qui eth. Nic. VII, 8 intemperantem et simpliciter incontinentem dicit esse περὶ τὰς δι' ἀφῆς καὶ γεύσεως ἡδονὰς καὶ λύπας καὶ ἐπιθυμίας καὶ φυγάς (quas quidem quatuor eodem modo habes conjunctas apud Platonem de rep. IV, 429 B et 430 A), quamquam talis divisio affectuum in libro secundo rhetoricorum, ubi Aristoteles de affectibus pro suo usu uberrime disserit, non clare elucet, cum contrarea λύπην et ἡδονήν non esse affectus sed affectus sequi contendat rhet. II, 1, eth. Nic. II, 4. Attamen in definitionibus singulorum affectuum saepe λύπη generis loco utitur, ita ut, num λύπην et ἡδονήν ipsas in affectibus posuerit, non appareat. Videatur de hac re Riccobonus in rhet. I, 11. — Num Aristoteles in singulari quodam libro, quem περὶ παθῶν scripsit Diog. V, 23, accuratius disseruerit de affectuum divisione eosque ex uno principio magis deduxerit, nescimus.

Multo magis quam Aristotelem Stoici in ethica de

affectibus doctrina Cynicos secuti esse videntur, quorum doctrinam multis in rebus profitebantur, ita ut σοφόν etiam κυνιεῖν statuerent Diog. VII, 121. Quae enim ad vitam recte agendam pertinebant fere omnia Cynica in suum converterunt v. g. τέλος esse τὸ κατ' ἀρετὴν ζῆν Diog. VI, 104, virtutem unam esse, cf. Zeller Philos. d. Griech. II, p. 221, aliaque. In demonstranda autem sua doctrina saepissime refugiebant ad Aristotelem, cum demonstrationes a Cynicis nil curae in iis ponentibus non possent sibi vindicare. Inprimis Cynici sapientem liberum ab omnibus his animi motibus esse docuerunt et Antisthenis nil tritius est quam illud μανείην ἢ ἡσθείην, et Diogenes dicit τὸ φοβεῖσθαι δούλου esse Diog. VI, 75, quae praecepta Stoici assumebant. Sed neque cur sapiens ab his liber esse deberet, neque qui fieri posset, ut iis vacaret, neque quomodo affectus definiendi et partiendi essent, a Cynicis discere potuerunt itaque, cum in his rebus Aristotele non aeque possent niti atque in aliis, ipsi hanc doctrinam de affectibus et invenire et excolere sunt coacti.

Primos igitur fuisse Stoicos, qui affectus via ac ratione partirentur, eos ex uno principio definirent et absolutum hominis in eos imperium ex ipsorum natura explicare conarentur, videmus neque Stoicos omnino de hac philosophiae parte optime esse meritos possumus negare. Multos quidem jam antiquis temporibus contra haec eorum placita pugnasse inprimis Peripateticos notum est, cf. Cic. Tusc. qu. IV, 21 ss.; Sen. ep. 85; 116, atque in ipsa Stoica disciplina extitisse vidimus, qui reicerent Stoicam de affectibus doctrinam. At si quantum veritatis hac in parte assecuti sint explorare velimus, summo jure doctrinam de affectibus ab iis in primis positam

esse censemus, quod disciplinae moralis non minus est, quomodo homines se gerere debeant, si animus externis rebus afficiatur, describere, quam quae sint agenda. Hac in re Spinoza Stoicis prorsus favet, qui tribus libris ultimis ethicae fere de affectibus disserit et in multis rebus Stoicis videtur assentiri. — Summum quidem — ne hic num suo jure partitionem animae Platonicam sustulerint facultatesque Aristoteleas rejecerint dijudicemus —, quo semper nitebantur, assensione et opinione affectus oriri immo judicia esse, qua re sequitur, ut homines in affectibus multo magis agere quam pati videantur, probari non potest, cum non assensio et judicium affectus antecedat, sed imaginatio eos efficiat, sicut jam Aristoteles rectissime docet et a Spinoza ex imaginatioue affectus oriri dicuntur. Multo minus in affectibus illa opinio inest rectum esse sic affici, cum contrarea, simulatque in homine quaestio orta sit, num rectum esset se his motibus tradere, affectus jam tollatur. Tamen quid veri inesse in hoc summo illorum placito videtur, cum sine intellectu affectus existere non possint. Oriuntur enim ex imaginatione, quam intellectus efficit, itaque imaginatio a Spinoza cognitio primi generis nominatur, cujus sint inadaequatae vel confusae ideae; quin affectus ipsi ab eo vocantur ideae confusae, cf. finem partis III eth., quae quamvis secundum totam Spinozae doctrinam valde sint diversae ab opinionibus et judiciis Stoicorum, tamen iis quodammodo sunt similes. Sic et a Stoicis et a Spinoza affectus in intellectu vel cognitione ponuntur, cum ne Spinoza quidem diversas animi facultates statuat, sed nullam facultatem absolutam intellegendi, cupiendi, amandi etc. esse censeat eth. II, pr. 18 schol., cf. ib. pr. 49 corrol. — Cum hoc primo

Stoicorum placito cohaeret illa falsa doctrina, qua pueros et bruta animalia affectibus prorsus carere docebant, cum animalia imaginatione praedita etiam in affectus incidant et juventus prae ceteris aetatibus affectibns regatur, id quod Aristoteles sexcenties inculcat.

Spinoza et omnes actiones et affectns ex „conatu in suo esse perseverandi“ proficisci docet, quam doctrinam Stoici profitentur in illo primo impetu naturali omnium animalium se conservandi, ex quo affectus quosdam etiam oriri dicunt. Sed si veritatem assequi voluerunt, omnes affectus ex hoc impetu oriri debuerunt ostendere, quem ortum Spinoza praeclare exponit. Sed talem originem ceteris eorum de affectibus placitis repugnare supra diximus, contrarea fere coacti erant eos a perversitate rationis ducere. Spinozae doctrinam de origine affectuum jam fere est professus Cartesius de pass. II, 52, quamvis in tota de passionibus doctrina et a Stoicis et a Spinoza valde recedat, cum eas modo, ut ita dicam, anatomico-physiologico conetur explicare.

Definitiones affectuum Stoicae, quamvis illae universales sint latiores neque originem affectuum aperiant, tamen quatuor generales, dummodo illum primum errorem praetermiseris, ad veritatem proxime accedunt, cum et bonum et malum in his definitionibus res ad nostram utilitatem relatas significent, quae solae affectus gignere possunt et nostra motio in has res externas aut ipso appetitu et declinatione et contractione et elatione aut illa opinione rectum esse et ad officinm pertinere sic contrahi sic efferri exprimatur. πρόσφατον Stoici in definitionibus suis aegritudinis et laetitiae jure adjecerunt; sin hae autem definiuntur ita, ut sint ipsae contractio et elatio, illud jam inest bonum vel malum, quod ho-

minem moveat, recens esse et viride. — Neque Spinozae definitiones valde a Stoicis recedunt, qui e. g. secundum affectus universalem definitionem tristitiam definiet confusam ideam, qua mens minorem sui corporis vel alicujus ejus partis existendi vim quam antea affirmet. Nam definitiones laetitiae et tristitiae, quas profert libro III initio affectuum definitionum, videntur corrigendae ex illa universali, quam sub finem libri addit. Sine conscientia enim „transitionis a minore vel a majore ad majorem vel ad minorem perfectionem", sine conscientia appetitus eorum, quae utilitati inserviunt, affectus existere non potest. Atque haec conscientia δόξῃ vel κρίσει Stoicorum et in laetitia et aegritudine et in cupiditate et metu satis exprimitur. Cum autem conscientiam motuum animi ipsorum inesse in affectibus contendunt, nempe opinionem rectum esse sic affici, a veritate aberrant. Conscientia enim sui ipsius motus animi debilitatur. Singulos affectus breviter quidem neque satis accurate, sed si rem totam spectas, recte definiunt Stoici et dolendum est, quod quomodo singulos oriri docuerint nobis non est servatum, ita ut hac de re judicare non possimus absolute.

Partitionem in quatuor affectus generales recte se habere ex eo videmus, quod omnes speciales iis quatuor subjungi possunt. Spinoza tres generales statuit affectus tristitiam, laetitiam, cupiditatem, metum autem tristitiae subicit, id quod antiquis temporibus nonnulli jam fecerunt Cic. Tusc. qu. IV, 30 (quisquis metum tristitiae subicit cupiditatem etiam voluptati subjungere potest, cum eadem ratio esse videatur inter voluptatem et cupiditatem atque inter tristitiam et metum). Sed Stoici suo jure etiam quartum affectum statuere possunt me-

tum et sic melius quam Spinoza hos quatuor inter se opponunt, ut duos ex opinatis bonis duos ex opinatis malis effici dicant, cum Spinoza quomodo cupiditas cum duobus alteris cohaereat accurate non exponat. Quod autem unumquemque affectum uni ex generalibus soli subjungebant, errasse mihi videntur, quoniam multi speciales affectus sunt fluctuationes inter duos affectus. Sic talis fluctuatio est zelotypia inter amorem et odium, alia, quam Spinoza nominat fluctuationem, inter metum et spem similis dubitationi, cf. Spin. eth. III, pr. 17 schol.

In ethicis Stoici omnino vituperandi sunt, quod sapientem solum respiciebant eumque e vita communi omnino tollebant, quapropter iis ne in hac quidem philosophiae parte plane est assentiendum, cum sapientem omnibus affectibus carere debere doceant eumque quasi arcem rebus externis inexpugnatam esse velint — nam εὐπαθείας ad res externas non pertinere vidimus —; fieri enim non potest, ut animus rebus ad conservandum hominis statum pertinentibus non moveatur neque in eas agat. Necesse igitur non est hos motus ex homine prorsus tolli, immo a natura nobis dati sunt, quibus ad alia agenda, alia omittenda vel evitanda irritemur, praecipue antequam ratio sit corroborata. Sed cavere debemus, ne hi affectus rationem superiorem evincant, ne rectum modum egrediantur neve nos veluti caecos reddant, itaque eorum mediocritatem cum Aristotele laudabimus. Sin autem affectus tam anguste definiuntur, ut aequum animum tollant, ut qui iis movetur omnem rationem aspernetur et extra se sit, hominem ab iis etiam liberum esse debere non possumus negare, cf. Kant Anthrop. p. 206. Hanc angustam definitionem quidem Stoici profitentur sed eam cadere dicunt in omnes animi

motus rebus externis effectos, qui falsa opinione orti omnes rectum modum excedant, impetus sint vehementiores sapientisque constantiam perturbent. Quae placita cum vana illorum sapientis imagine arctissime cohaerent. Hos autem omnes motus contra rationem et contra hominis naturam esse concedere non possumus, qua de re Peripatetici contra Stoicos vehementissime jam pugnabant.

Corporis affectiones sicut lacrimas, pallores aliasque Stoici summo jure ab animi motibus sejunxerunt. Nonnunquam quidem hae animi motus sequuntur et affectuum animi signa sunt, sed corpus saepissime etiam perterretur et talia et similia signa edit, cum animus constantiam servet, quoniam corpus a rebus externis multo magis pendet quam animus.

Veritatem autem Stoici non assequuntur, cum nos affectibus absolute posse imperare docent, qua in re Cartesius iis favet, Spinoza adversatur, cf. Spin. eth. praef. ad part. V. Atque ipsi, cum jam adsit affectus, non jam eum esse in nostra voluntate sed nos secum rapere coguntur concedere. Attamen maximam vim nos in affectus habere et vehementiores lenire immo malos exstirpare posse certum est, id quod Spinoza etiam concedit „unumquemque dicens potestatem habere se suosque affectus, si non absolute, ex parte saltem clare et distincte intellegendi et consequenter efficiendi, ut ab iisdem minus patiatur. Itaque huic rei praecipue dandam esse operam, ut unumquemque affectum, quantum fieri possit, clare et distincte cognoscamus, ut sic mens ab affectu ad illa cogitandum determinetur, quae clare et distincte cognoscamus" eth. V, pr. 4 schol. Fieri non posse docet, ut homo pars naturae aliis hujus partibus non afficiatur, sod ad affectus coercendos operam na-

vandam esse, ut formentur ex inadaequatis ideis adaequatae, ut affectus a cogitatione causae externae separentur et veris jungantur cogitationibus. Sic affectus, quae passiones sint, destrui et ex his ideis adaequatis affectus, quae sint actiones, oriri, qua re fieri, ut e ductu rationis vivamus. Nemo est, quin hos affectus agentes, ut ita dicam, similes esse Stoicorum constantiis concedat, praesertim cum eodem modo ac Stoici Spinoza tristitiae talem affectum agentem esse oppositum neget itaque a tristitia sapientem prorsus removeat eth. III, pr. 59. Sapiens Spinozae omnino rebus externis vix animo movetur et vera animi acquiescentia semper potitur, cum ignarus, praeterquam causis externis multis modis agitetur, vera animi acquiescentia nunquam potiatur eth. V, pr. 42 schol., quae doctrina quantum ad Stoicos accedat quis est quin videat?

Morbos, quos nos „Leidenschaften“ vocamus, cum affectibus i. e. cum cupiditate et offensiones, quas nominant, cum metu arctissime cohaerere recte docent Stoici et primi eos ab affectibus bene ita distinguunt, ut hos esse subitos dicant, qui facillime possint immutari, illos inhaerentes, qui animum altius implicuerint et perpetua ejus mala esse coeperint. Nam diuturnitas revera morbos, quos dicunt, ab affectibus separare videtur, ceterae differentiae ex hac diuturnitate omnes sequuntur.

Remedia affectuum, quae afferunt, fere pertinent ad opiniones solas, quas inesse ducunt in affectibus, itaque si hae reiciuntur, illa quoque vim absolutam perdent. Multum tamen cogitationem de rebus externis et de affectibus ipsis in eos valere omnes concedent. Quae ad singulos affectus propellendos commendabant saepissime recte sunt praecepta.

At jam fere intelleximus Stoicorum doctrinam de affectibus aeque ineptam non esse, ac quidam putent, certe multis in rebus cum Spinoza congruere, quem recentioribus temporibus acutissime de his animi motibus scripsisse omnes consentiunt. — In multos quidem errores inciderunt illo primo errore ducti, sed doctrinam invenerunt sibi constantem, omnibus partibus bene excultam, cum tota disciplina optime cohaerentem, cujus in logica et psychologica parte usu vitae niti semper conabantur.

VITA SCRIPTORIS.

Franciscus Fridericus Maximilianus Heinze natus sum Prissnitzae in pago ducatus Saxo-Meiningensis Id. Decembr. a. s. MDCCCXXXV patre Carolo pastore et doctore ph. matre Henrietta e gente Heumanniana, quos ambos in vivis esse maximo opere gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum elementis a patre imbutus inde a quarto decimo anno gymnasium cathedrale Numburgense frequentavi, quod directore Foertschio viro bene de me merito florebat tunc et adhuc floret. Testimonium maturitatis et Numburgi et Meiningae adeptus universitatem Lipsiensem adii in theologiam et philologiam incubiturus ibique per annum audivi disserentes Angerum, Drobischium, Fritzschium, Grossmannum, Hartensteinum, Kahnisium, Lindnerum, Tischendorfium, Tuchium, Weissium, Winerum, Wuttkium. Tum me contuli Tubingam, ubi scholis interfui per duo semestria Baurii, Beckii, Oehleri, Palmeri, tum Erlangam, ubi iterum per duo semestria docentes audivi Delitzschium, Herzoginm, Hofmannum, Schmidium Schwarzenbergensem, Thomasium. Triennio sic peracto examen in patria mea theologicum prius pro candidatura subii et licentiam concionandi accepi. Majorem quam antea philosophiae et philologiae operam navaturus me contuli in universitatem Halensem ibique per hiemem fere semper invalidus atque aeger praeceptoribus usus sum Bergkio, Bernhardyo, Jacobio,

…ckii. Hinc Berolinum profectus scholas adii Boeckhii, Gerhardii, Lepsii, Trendelenburgii, Tweste ni saepe valetudine impeditus, quominus studiis strenue me dederem. Quibus viris omnibus propter summa in me merita gratias habeo quam maximas inprimis Trendelenburgio, qui etiam hujus dissertationis, quam jam scripsi, copiam mihi dedit.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I. Corruptio et culpa hominum est hereditaria.

II. Stoici in philosophia morali Cynicos magis quam Aristotelem sunt secuti.

III. In instituendis adolescentibus methodus plus valet quam scientiarum copia.

IV. In Arist. eth. Nicom. VII, 3 verba

εἰ μὲν γὰρ μὴ ἐπέπειστο ἃ πράττει, μεταπεισθεὶς ἂν ἐπαύσατο· νῦν δὲ πεπεισμένος οὐδὲν ἧττον ἄλλα πράττει

non mutanda sunt immo optimum sensum praebent.

V. Arist. metaph. I, 6

κατὰ μέθεξιν γὰρ εἶναι τὰ πολλὰ τῶν συνωνύμων ὁμώνυμα τοῖς εἴδεσιν

vocabulum ὁμώνυμα non est eiciendum.

VI. Alaricus coss. Vicentio et Fravito i. e. anno quadringentesimo uno primum in Italiam ingressus est.